# VIGESIMA QUARTA DIES JULII.
# DE S. FRANCISCO SOLANO ORDINIS FRATRUM MINORUM DE OBSERVANTIA.
# LIMÆ IN PERUVIA.
# VITA AUCTORE TIBURTIO NAVARRO MINORITA

## Ex processibus beatificationis, aliisque monumentis collecta, & Romæ anno MDCLXXI typis edita.

## EX IMPRESSIS.

### CAPUT I.
### Sancti patria, parentes, mores in pueritia & adolescentia, ingressus in Ordinem Minorum, & professio religiosa.

Anno a nativitate Christi millesimo quingentesimo quadragesimo nono, Pauli tertii Pontificis maximi decimo sexto, Caroli quinti imperatoris augusti, [S. Franciscus Solanus anno 1549 nascitur in Hispania] Hispaniarum regis catholici trigesimo quarto, exsurgentibus hæresum tenebris, & Christianæ Europæ faciem luctuose obvolventibus, ortus est mundo Franciscus Solanus; qui quoniam ad repellendam ex Americo hemisphærio gentilitii erroris caliginem, & lucem orthodoxæ veritatis diffundendam divinæ providentiæ cura destinatus fuit, non immerito Peruani orbis sol unus poterit appellari. Huic tam egregio fœtui patria fuit Montillum Cordubensis diœcesis oppidum, Priegii marchionatus præcipuum, & in feracissima Hispaniæ regione Andalusiæ situm.

[2] [honestis parentibus, & pueritia pie transacta,] Parentes sortitus est honestos & pios, ab avita virtute & sanguinis claritate non degeneres. Patri nomen Matthæus Sancius Solanus, matri vero Anna Ximenes, Hidalga fuit: ille inter præcipuos concives habitus, in præfati oppidi præfectum bis meruit cooptari. Ex horum itaque stirpe, quasi fructus optimus arboris bonæ, natus est puer iste Solanus, vitæ quidem sanctimonia primus, sed in ordine filiorum secundus. Eodem anno, die Dominica, decima Martii in ecclesia sancto Jacobo dicata sacri baptismatis lavacro regeneratur. Illum parentes a teneris annis timorem Domini, & Catholicam fidem solicite docuerunt; quorum non tam præceptis imbutus, quam divinæ gratiæ adjutorio præventus, ab ipso puerilis ætatis ingressu, & in adolescentiæ lubrico se virtutis amantissimum exhibebat: a pravis namque conversationibus studiose declinans, & juvenilis petulantiæ appetitus refrænans, in animæ suæ cultura indefesse laborabat. Hinc tantus nascentis in eo sanctitatis splendor irradiare cœpit, ut jam ceteros adolescentes (qui in illo aliquid ultra humanum deprehenderant) sola præsentia aut ab inceptis ludis inhonestis & indecentibus verbis desistere, aut a propositis omnino cogeret abstinere.

[3] [humaniorum litterarum studiis virtutem] In collegio Societatis Jesu ejusdem oppidi studio litterarum addictus, omnium tam magistrorum, quam consodalium sibi conciliavit amorem, & in se, quasi in modestiæ, mansuetudinis, ac virtutis omnimodæ speculum, oculos convertit. Cum enim nihil puerile proferret, sed in cunctis consummatum hominem saperet, prudentiam & discretionem demonstrabat virilem. Pacis & mutui amoris amantissimus erat, & jurgia inter condiscipulos exorta componere satagebat; adeo ut cum semel duos (cum quibus juxta fluvium Aquilar ambulabat) inter se rixantes, & pugnis contendentes vidisset, intercesserit medius, ut eos sedaret; cumque unius manu fuisset impetitus, non

destitit, donec reduxisset ad pacem, & amico secum de ictu inflicto condolenti, ait: "Nihil mihi perfecto doloris intulit; finem vero intentum obtinui, dum eos ad pristinam amicitiam revocavi". Hanc non solum inter consocios pueros, sed & inter ipsos ætate majores homines statuere concordiam curabat: nam cum aliquando circa Montiliam duos in agro districtis ensibus certantes reperisset, ad eos audacter accessit, & verbis melle manantibus, inquit: "Pro amore Dei nolite invicem tam periculose pugnare; & absque dubio vos mutuo vulnere interficietis". His auditis, subito gladios in vaginam reposuerunt, ac in diversas partes abeuntes ab invicem pacifice discesserunt.

[4] [ac pletatem conjungens,] Studebat itaque bonus Puer, & subcesivas a studio horas in horti paterni adjuvanda cultura impendebat, ubi dum corpus labori applicaret, devotis canticis animum recreabat, & elevatam in Deum mentem eorum dulcedine conservabat. Sciens insuper amore litterarum exstingui non debere affectum virtutis, interiori cordis profectui ac devotioni vacabat. Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta recepturus debita se præparatione disponens, ac postmodum de receptis humiles gratias in secreto orationis Christo rependens, ad eorum etiam participationem alios efficaciter hortabatur.

[5] Verum adeo generosum militiæ Christianæ Athletam nobilior alea, [Ordinem Minorum ingreditur,] quam seculi decebat; in campo religiosæ palæstræ erant exercitandæ vires. Quamobrem (Deo inspirante) ad altiorem perfectionis gradum anhelans in claustri solitudinem secedere meditatur; & tandem maturo consilio a Patribus regularis Observantiæ conventus Montiliæ Recollectionis, provinciæ Andalusiæ, sacro se induit habitu, & eorum aggregari consortio humiliter postulavit. Quem prudentes religiosi tentatum, ac sapienter probatum, anno supra millesimum &

quingentesimum sexagesimo nono, ætatis illius vigesimo ad Ordinis seraphici probationem admiserunt.

[6] Habitu Minorum indutus illico pullulantes in anima virtutum thesauros coram omnibus explicare cœpit. [& tempore novitiatus mira austeritatis] Modestiam imprimis singularem, cæcam obedientiam, demissam humilitatem, diuturnum silentium, & sensuum rigidam mortificationem ubique præferens, fratrum oculos & affectum ad se trahebat. Sunt quidem sacris Recollectionis provinciæ Granatensis incolis communia, pœnitentiæ rigor, aspera, vilis, & rugosa vestis, exacta & longa jejunia, crebra flagellatio, summa paupertas, uno verbo instituti Franciscani vere regularis observantia: sunt & alia novitiorum & ad religionem aptandorum austeræ probationis exercitia; sed hos omnes Franciscus noster cursu velocior, & zelo ferventior anteibat; sub sago cilicium acutum aptabat ad carnem, superno per annum cortice, Quadragesimæ vero & Adventus temporibus crate ex ligatis insimul fustibus compacta pro lecto, & ligno pro cervicali utebatur.

[7] Flagellis se frequentibus usque ad largam sanguinis effusionem cruciabat, [& abstinentiæ exempla præbens,] his, quasi tutissimum virtutum nascentium custodem, jejunium addebat; & ut juvenilis fervoris impetus præveniret, abstinentiæ medicinam adhibebat. Numquam enim (ut a probationis, & professionis sociis observatum est per triennium) carne, piscibus, aut ovis vescebatur, nisi in solennioribus festis magistri præcepto adstrictus. Talem sibi temperantiæ legem præscripserat, ut nihil coctum igne diebus Veneris comederet; at vero per omnes Quadragesimæ secundas, quartas, & sextas ferias pane solo in cibum, & aqua uteretur ad potum. Taceo quod communem tunc omnibus novitiis pedum omnimodam toleraverit nuditatem. Religiosi silentii frenum cum necessitate compulsus solvebat, de rebus

tantum spiritualibus ad ædificationem audientium loquebatur. Cumque pauca semper singulari discretione proferret, consodales novitii dum in raris (quas indulget Religio ad remittendos animos) contabulationibus versarentur; præsente Francisco, nihil leve, aut risum provocans, & quod sanctam religiositatem non saperet, admiscere audebant. Quam quidem præsentiæ ipsius reverentiam, donec ad Indias perrexit, apud fratres perseverasse compertum est.

[8] [ac orationi deditus professionem religiosam emittit.] Tam eximias ferventis Novitii virtutes, quasi aqua irrigua novas plantulas, oratio fovebat: intelligens enim pius Adolescens, non futuram perennem mortificationem, aliasque religiosi animi dotes cito perituras, quas divinæ conversationis pinguedo non saginaret, vacabat indesinenter contemplationi: præter enim horas, quibus tota communitas orando attendebat; ille in nocturno silentio, postquam corpus disciplinæ flagellis evigilaverat, per plurium cursus sanctum orationis exercitium sæpe usque ad ortum diei, protrahebat. His ergo tam bonis principiis se vere divino impulsu vocatum manifeste contestans, eo perseverantiam inspirante, qui dederat voluntatem, post expletum probationis annum, omnibus consentientibus, & exultantibus sacræ Recollectionis patribus, solennem vitæ & regulæ fratrum Minorum professionem emisit.

## ANNOTATA.

Annus ille trigesimus quartus intelligendus est de solo regno Hispaniæ: erat enim imperii tantum annus trigesimus primus.

Nescivi, an vox Hidalga hic sit propria, an appellativa: nam Hispani per hidalgo nobilem significant, de cujus

nominis etymologia videri potest Covarruvias tom. 2 Var. Resol. cap. 1, num. 11.

Non video, quomodo hæc cohæreant cum iis, quæ in Vita Hispanica lib. 1, cap. 36 ex informationibus ad beatificationem citantur hoc modo: Prædixit quoque ejus (potius suam) mortem futuram in die S. Bonaventuræ, in quo natus fuerat, & cujus devotissimus erat, & ita fuit. Si anno 1549 in festo S. Bonaventuræ natus fuerit, quomodo eodem anno, die Dominica, decima Martii baptizatus fuit? Potius itaque cum Pontificia constitutione opinamur, Sanctum VI Idus Martii natum fuisse.

## CAPUT II.
## Scientiarum studium, sacerdotium, officia in Hispania administrata, & apostolicus zelus ibidem ostensus.

[Finitis philosophiæ ac theologiæ studiis] Institutum regularis observantiæ professus, virtutes, quas in probatione colere cœperat, non dimisit, sed consummavit: adeoque inceptam in tirocinio vivendi rationem firmiter tenuit, ut numquam a primo illo simplicitatis, obedientiæ, & fervoris tramite deviaverit. Post exactum in conventu Montiliæ circiter triennium, ad Recollectionis sanctæ Mariæ de Loreto cœnobium sub perfecto pioque Guardiano, prout optaverat, mittitur. Ibi studio philosophicæ disciplinæ addictus, quamquam cellarum copia suppeteret, tamen in angulo quodam juxta tintinnabula parvam & humilem ex arundinibus cellulam sibi construxit; in qua pro supellectili lectulus corticeus & sedile ligneum erant, & ex parvo foramine lumen manabat. Ibi solitarius & a strepitu segregatus dies noctesque aut orans, aut studens ducebat. Theologiæ etiam operam dedit, cujus doctrinas, quas intellectu perceperat, in cibum animæ convertens, meditatione, fletu, jejunio, studiorum ariditatem temperabat; ita ut

(quod sæpe multis aliter evenit) hinc doctus simul & sanctus, sapiens & humilis prodierit.

[10] Terminato studii curriculo ad sacerdotalem ordinem promotus est, [sacerdotio initiatur, & post alia officia] & prima vice augustum Sacrificium in solennitate S. P. N. Francisci obtulit Deo. Inde cum cultus divini solicitus esset, ac vocis sonoræ gratia præstaret, chori vicarius designatur, in quo quidem officio accurate plurimum & exacte se gessit. Horas nocturnas & diurnas, ne quid in ritu & cantu deficeret, præveniens & præparans, iis indefectibiliter assistebat. Superioris quoque imperio ad prædicandi munus assumptus est, in quo quam laudabiliter egerit, quam fructuose laboraverit, eventus subsecuti, & inferius narrandi probabunt.

[11] Jam plures annos in sacra illa recollectione traduxerat, [sit magister novitiorum,] cum ad alium conventum ab obedientia vocatur, & magister novitiorum in Arrizafæ monasterio præficitur. Hoc in onere sibi commendato, intelligens Vir Dei efficacius esse exemplum, quam verbum, & tironum oculos in magistri vitam, quasi in speculum, cui conformetur, esse conversos; novo zelo accensus totum se pœnitentiis dedit, & conceptum in tirocinio fervorem renovavit. Juvenum culpas sua perfectione, acrius quam voce reprehendens, & delinquentium errores sibi adscribens, pœnam ab eis debitam ipse solvebat; & eorum manibus se flagellis cædendum tradens, in proprio corpore alienos expiabat defectus. Carnibus & piscibus sibi interdictis, coctorum olerum cibo sustentabatur. Orationi tam intense ac frequenter vacabat, ut eum novitii de industria, num aliquando quiesceret, observantes, plerumque genibus flexis in cella, aut in choro (in quo post Matutinum ad primam usque remanebat) orantem deprehenderint, ac tandem gravissimis verberibus suspiria & gemitus commiscentem audierint.

[12] Ad tanti rectoris imitationem provocati novitii in acquirenda perfectione non segniter laborabant, [quos verbo & exemplo docet;] quibus aliquando sciscitantibus, qua potissimum pœnitentia religiosus divinam gratiam mereretur, reddidit dignum sapiente responsum: Tutiorem ad meritum viam esse patientiam, ac laborum & tribulationum, præsertim cum a parentibus aut religiosis inferuntur, æquanimem tolerantiam. Interrogatus etiam ab illo simplicium cœtu, quid dolorem ex flagellis percipiendum augeret, docebat eos, quod sicut agnus innocens Christus tunica inconsutili exutus in toto corpore verberum acerbitatem excepit, sic depositis tunicis, non una, sed plures corporis partes sunt flagellandæ. His & similibus documentis teneras plantulas irrigabat, & religiosæ professionis observantiæ dictis disponebat & factis.

[13] [ac in alio Conventu iterum novitiis præfectus] Inde ad Conventum S. Francisci de Monte in arduis & asperis positum, ab hominum habitatione semotum, & rerum cælestium contemplationi aptissimum magister novitiorum destinatur; quo quidem in officio, quas supra retulimus, virtutes exercuit: verum & loci opportunitate usus privato profectui impensius indulsit; ibi longas protrahebat orationes, silentii ac solitudinis non interrupta quiete fruebatur: ibi pœnitentiæ strictioris modos adinveniens, novis se mortificationibus affligebat. Erant juxta monasterium horridis acuminibus rigentes spinæ, in quas se nudum verus seraphici Patris imitator tamdiu aliquando volutavit, donec totum diro vulnere corpus cruentasset.

[14] [in eodem cogitur Guardiani munus obire,] Tam eximias ejus virtutes in bonum Religionis decebat semper occupari; quamobrem in provinciæ capitulo prædicti conventus S. Francisci de Monte Guardianus instituitur; quod officium, licet summa humilitate recusaverit, tamen

obedientia compulsus subivit. In eo omnes boni superioris partes implevit: vigilantiam imprimis prælato necessariam & solicitudinem maximam adhibuit, ut a subditis regulæ præcepta, & sacræ Recollectionis statuta inviolabiliter observarentur; & ut efficacior exhortatio fieret, eam exemplo roborabat: ad omnia namque monasterii exercitia primus obeunda concurrens, a choro, mensa, oratione, labore communi numquam aberat. Assumpto sacculo, ostiatim eleëmosynas emendicatum ibat. Cunctis affabilis, nulli onerosus, discrete tamen arguendos reprehendebat, & duræ cervicis subditos obedientiæ freno coërcebat.

[15] [quod humiliter administrans ac postea abdicans] Specialem infirmorum curam sibi ex officio demandatam existimans, eis sedulo deserviebat, & infirmarii manus præveniens, eorum lectulos componebat, & sordidam valetudinarii supellectilem lavabat & expurgabat. Præterea ut fratribus religiosæ dejectionis exemplo præluceret, sæpe dum omnes mensis assiderent, lignum aut arundinem dentibus apprehendens, humili modestoque gradu incedens, lacrymis perfusus, & seipsum inculpans in refectorium intrabat, & genuflexus se virum inutilem, & qui hominum pedibus calcaretur, indignum proclamabat. Tandem opere & sermone familiam illam, in quoddam sanctuarium & pœnitentium quasi carcerem voluntarium convertit; & tamen adeo sanctæ humilitatis virtus animam ejus invaserat, ut importunis & urgentibus precibus acceptationem suæ ab hoc munere renuntiationis extorserit.

[16] [totus intendit saluti animarum,] Vicinorum populorum utilitatibus attendens, prædicationis officium sibi jam demandatum, dum in illo S. Francisci de Monte conventu moraretur, cum magno adjacentium villarum proventu Dei Servus exercuit. Etenim verbis non inanibus & risu dignis; sed medullas cordis penetrantibus, & in

oratione, Christo docente, conceptis, regionis illius incolas informabat. Convertebantur non pauci, & ut vitiorum sordes abjicerent ad sanctum. Prædicatorem peccata confitentes veniebant. Cum pro eleemosynis ad loca finitima mitteretur, solebat pueros congregare, cum quibus turmatim per vias procedens, simul fidei Christianæ dogmata recitabat. Et si forte adultorum numerus congregatus occurrebat, de divino eis prædicabat timore, & sanctum Domini commendabat obsequium. Terminata concione, licet monasterium proximiori castello unius leucæ ad minus spatio distaret, ad illud jejunus redibat; quam strictam discretionis & abstinentiæ legem, etiam dum febre quartana laboraret, quadragesimali tempore in villa de Adamus prædicans, non infregit.

[17] Ob hæc charitatis officia animabus exhibita Vir apostolicus & sanctus ab omnibus habebatur; [& prodigiose quorumdam corporibus prodest.] sed augebant famam illius collata etiam corporibus beneficia. Cum enim in oppido Montiliæ ad januam Didaci Lopez semel pro eleemosyna staret, oblatus est ei puer parvulus præfati Didaci filius, æger & toto corpore miserabiliter ulceratus, ut super eo sanctum aliquod Euangelium pronuntiaret. Tunc ille bajulæ mulieri jussit, ut amotis linteaminibus plagas detegeret; quibus visis, misericordia tactus, admota lingua totum corpus pueri lambit. Ad salubrem ejus contactum æger convaluit: paucis namque interjectis diebus integram carnis sanitatem & decorem adeptus est. Dum alia vice Vir Dei ad idem oppidum mendicaturus accederet, in ipso loci introitu pauperem cruribus ulcere plurimo sauciis obvium habuit. Tunc memor Christi pro nobis in cruce vulnerati, in terram procidit, & miseri pedes benigne osculatus est. Hoc osculo pie creditur reddita pauperi sanitas: nam elapso ab hinc mense, sanis cruribus, & nulli innixus baculo visus est ambulare.

[18] Anno millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, [Peste infectorum animas] calamitosa pestiferi contagii lue in plures Andalusiæ regiones debacchante, Montorum oppidum flagelli divini rigorem sensit. Hujus misertus Vir Dei, nec minus corporali, quam spirituali subsidio destitutis compatiens, obtenta licet ægre a Guardiano licentia, cum socio, nomine Bonaventura sacerdote, eodem spiritu animato, ad castrum præfatum se contulit; & annuentibus, immo & exultantibus parocho & aliis incolis, nosocomii peste laborantibus destinati curam suscepit. Ibi nullo mortis periculo territus animas infirmorum curabat & corpora; modo eos verbis dulcissimis ad patientiam, ad humilem cum divina voluntate conformitatem, & lucrandam jubilæi de cælo missi (sic enim luem illam vocabat) remissionem hortabatur: modo ipsis Sacramenta administrabat, mox ad supremum agonis certamen piis colloquiis disponebat.

[19] Nec propterea oblitus subsidii corporalis, lectulos componebat, [& corpora curat,] cibos & medicinas parabat, & omni ministerio juvabat. Illos vero, qui mortem evaserant &, tabe ægritudinis superata, sanitatis bonum erant consecuti, in aquis proximi molendini lotos atque mundatos, & pristinis vestibus exutos, novisque vestitos, crucem præ manibus gerens, ac fidei nostræ articulos alta voce decantans, ad propria domicilia reducebat. Inde ad ægrotantium curam revertens, & inter hos labores alacri facie, vultuque semper composito perseverans, miseris illis singularem ingerebat consolationem & gaudium.

[20] [& eodem morbo afflictus sanatur,] Interea charissimo ejus coadjutore Bonaventura morbi contagio enecato, Servus Dei non destitit; sed communem antea duobus, nunc in se totam refundens solicitudinem, omnium necessitatibus indefessa vigilantia succurrebat. Ipse autem, ut amarum ægritudinis calicem degustaret,

ac Deo probaretur in infirmitate fidelis, pestis violentiam non effugit: duplici namque glandula seu anthrace correptus, vehementis doloris molestiam sensit, quam mira tranquillitate mentis ac patientia toleravit. Verum ad majora pro Deo & proximo operanda cælesti providentia reservatus, pristinæ redditus est sospitati, statimque primum ministerium reassumpsit; nec ab illo amplius cessavit, donec reposito in vaginam angeli percutientis gladio, sævientis pestilentiæ ignis exstinctus fuit. Tunc enim populo valedicens, ad dilectam monasterii solitudinem se recepit.

[21] [ac æd alium conventum mittitur, ubi apostolicos labores exercet.] Elapso vero non multo tempore, ad conventum Recollectionis sancti Ludovici Regalis, a Granatensi civitate unius leucæ intervallo distantem, ab obedientia transfertur. Ibi a Guardiano & fratribus, ob spectatas ipsius virtutes, summa cum exultatione, & singulari reverentia susceptus, inchoatam juvandi proximi viam non dereliquit: illico namque cœnobii ægrotis ministrare cœpit, & cum tantæ charitati necessitas domestica non sufficeret, annuente superiore, sæpe ad S. Joannis a Deo xenodochium, aut ad civitatis publicum carcerem properabat, ubi Christianos infirmos, aut in ergastulo detentos, verbo, ministerio, & sacramentalis pœnitentiæ refrigerio consolabatur.

## CAPUT III.
## Navigatio ad Indias Occidentales, naufragium, & caritas erga proximum.

Præclara sanctitatis indicia, quibus Francisci Solani vita apud homines resplendebat, magnam ipsi in Hispaniæ partibus conciliaverant æstimationem; [Beatus, humilitate & zelo animarum incitatus,] quam ut effugeret, & in angulo quodam (absque tamen charitatis dispendio, & sine proximi detrimento) incognitus latitaret, periculum

mortis non reformidans, sed gloriosi martyrii agonem exoptans, instanter apud superiores egit, ut Africanas Barbariæ gentes adeundi sibi licentia daretur. Verum, ea denegata, a proposito non destitit, sed ad longinquas novi hemisphærii plagas, operariis euangelicis indigentes, respiciens, cum Catholicus rex Philippus secundus a Franciscanæ Religionis prælatis fratres ad Indias mitti jussisset, qui populis illis Christianæ veritatis lucem communicarent, occasionem sibi ratus favorabilem Vir Dei sacris missionariis annumerari instanter petiit; ut pia hac arte præceptum charitatis non frangeret, & humilitatis instinctum impleret. Obtenta itaque facultate, religiosis sub patre Balthazaro Navarro commissario ad provincias Tucumani, potius quam aliis ad diversas Americæ regiones pergentibus, se socium adjungi elegit; quia hanc præ ceteris partem minus præceptis euangelicis imbutam, & opera difficiliori audierat indigentem.

[23] Fratribus autem vale dicens, & populis (quos antea salutaribus documentis informaverat) in transitu visitatis, [navigat in Americam; & in itinere piis exercitiis vacans,] cum navalibus copiis sub domino Garcia Hurtado de Mendoza Caneti marchione, Peruani regni prorege, ad Indias tendentibus, & cum pluribus Ordinis sui religiosis, anno salutis millesimo quingentesimo octuagesimo nono ex Hispalensi [urbe] profectus est, in nave, quasi in solitudine monasterii, spiritualia exercitia complevit; nec multitudine navigantium, aut spatii parvitate, ab orationis interno colloquio vel ab externa proximi cura est impeditus. Postquam enim a privatis precibus cessaverat, alios verbis ignitis ad amorem divinum incendebat, apprehenso manibus Crucifixo, mortem peccato præferendam contestabatur; & quos sermonis jaculo sauciaverat, pœnitentiæ sacramentalis medicina sanabat.

[24] Viam autem prosequente navigio, ad sancti Dominici insularum prospectum venere, [ac martyrii desiderio flagrans,] ad quas religiosi quidam (inter quos & ipse Vir Dei) tunicas loturi descenderunt. Hora post meridiem quarta, quotquot cymbula capere potuit, ad navem in alto positam redierunt. Remansit cum aliis Franciscus, donec scaphæ iterum redituræ beneficio trajiceret; quæ quidem ob nimiam distantiam usque ad horam a media nocte secundam non est reversa. Interim vero periculosæ exspectationis tædium Servus Christi orationis perseverantia superavit, & barbarorum in horridis illis montibus habitantium ferocitatem (quam alii timebant) ipse non veritus, gaudio exultans laudes Domini & Deiparæ Virginis alte concinebat, ac consequendi martyrii optatam sibi adesse occasionem oris & cordis jubilo tripudiabat.

[25] [salutem proximi impense curat.] Ad navem reversis omnibus, cursuque navigationis resumpto, classis Carthagenam appulit, ubi diebus aliquot transactis, ad portum Nominis Dei, sive Portovelum, proram direxit; unde relicto mari, Franciscus noster cum prælato & sociis terræ iter aggressus Panamam venit. Hac in civitate nullum laboriosæ peregrinationis refrigerium admittens, sibi in angulo chori fiscum sparteum pro grabato, & ligneum cervical aptavit: terminatis officii & orationum horis, ad urbis xenodochia infirmis humiliter ministraturus transibat.

[26] [In naufragio] Elapsis nonnullis diebus, sacri missionarii navem Joannis de Morgana ingressi, e Panamæ portu solverunt. Vix autem velis extensis eam ad Peruana regna direxerant, cum ecce juxta sinum Gorgonæ navigantibus subito tempestas oborta est, cujus impetu, & ventorum flantium furore, navis hinc inde rejecta circa mediam noctem in arenas impegit, & violentis impulsibus conquassata exundantibus aquis

aditum aperuit; quibus & imbrium ab aëre decidentium copia certum minabatur naufragium, & præsens mortis periculum miseris intentabat. In extrema hac salutis desperatione nauta cymbulam mari commisit, in qua cum præcipuis viris & religiosis ad terram properare decrevit.

[27] [egregius vitæ suæ contemptor] Rogatur itaque vir Dei Franciscus, ut se cum sociis morti subduceret. Sed cum majorem hanc charitatem in corde gestaret, qua pro amicis & proximis vita ponitur, considerans quod infelix exitus exspectabat eos, quos suscipere scapha non valebat, sui corporis vitam spirituali eorumdem saluti postponens, adduci non potuit, ut afflictos illos, quorum quamplurimi barbari gentiles, nigri in aquis baptismalibus veterem Adam nondum sepelierant, omni destitutos auxilio desereret. Alte itaque exclamans, ait: Absit, ut lucis temporalis amore, ab istis fratribus meis in utriusque vitæ discrimine positis sejungar. Mox cruce assumpta, eos ad oculos in montem divinæ misericordiæ levandos, & ad sperandam ab illo, qui dominatur potestati maris, fluctuum mitigationem est cohortatus. Barbaris quoque gentilibus in fervore spiritus Christi nomen, paucis, sed efficacibus verbis, annuntiavit, & sufficienter dispositos baptismi lavacro regeneravit.

[28] [naufragos ad fiduciam hortatur, & prædicit, auxilium affuturum] Vix onerata dignioribus cymbula ad littus tendere incœperat, cum valida maris procella, & fluctus irruentis violentia navem in duo fragmenta divisit, quorum unum cum multis hominibus, inter quos recens baptizati nonnulli, æquor absorbuit; alterum, in quo Vir Dei cum pluribus, aquis supernatavit. Ad tam luctuosi casus eventum, omnes pavor extremus invasit; solus Franciscus intrepidus crucem ostentans, eos ab alto puppis ad spem in Domino collocandam hortabatur; adfuturum post tres dies auxilium, & naviculam ad eos reversuram affirmabat.

Ut autem in corporum periculo animarum securitati provideret, eos secunda post peccati naufragium tabula, pœnitentiæ scilicet Sacramento, ad portum salutis inveniendum disposuit; ac etiam ut propitium miseris cælum redderet, intus cordis hostiam suspiriis & precibus, foris corporis victimam flagellis super nudos humeros injectis immolavit. His in angustiis totum tridui spatium duxere, non alio cibo refecti, quam verbi procedentis ex ore Francisci; quo se quidam ita fuisse roboratos professi sunt, ut nullam senserint famis inediam.

[29] Tandem juxta Viri sancti sermonem cælestis aura subsidii cœpit aspirare: [quod juxta ipsius prophetiam secutum est.] cereis enim quibusdam a mari in navem rejectis (quod aliqui miraculo Servi Dei precibus operato adscripserunt) & accensis, his qui in scapha ad littus trajecerant, se adhuc superstites & prompto esse indigentes auxilio significarunt. Die ergo tertio (ut impleretur verbum Francisci) educta ab aquis cymbula, quibus erat immersa, necnon sufficienter instructa, remigum manu ad miseros rediit naufragantes; in quam non prius descendit Vir sanctus, donec omnes in eam fuissent recepti, tuncque deposito habitu & fune colligato, tunica interiori vestitus, crucem manu gerens, ad naviculam undarum motu aliquantisper a nave sejunctam natando pervenit, projecta vero vestis in aquas decidit. Vix scapham ingressi sunt omnes, cum quod hucusque supernataverat navis fragmentum, subito in profundum demersum est. Illi vero salvi & incolumes delati ad terram, per bidui viam ad tuguria (in quæ se socii receperant) accesserunt, eisque quantam a P. Francisco consolationem & auxilium accepissent, narraverunt.

[30] Contigit autem in ipso maris egressu res, [Post miracula] non prætereunda silentio, quod scilicet Vir Dei ad quærendum (quem in fluctus cecidisse diximus) habitum juxta pelagi oram progressus, impossibilem

asserentibus aliis ejusdem inventionem; ille quasi de exitu non incertus, respondit: "In Deum spero, quod seraphicus pater meus Franciscus, quam mihi Ordinis sui largitus est vestem, nunc restituet". His dictis iter prosecutus intra semihoram habitu & caputio indutus, & cingulo præcinctus, nullo madefactionis in eis remanente vestigio, ad alios rediit.

[31] Qui vero tempestates maris evaserant, in terra positi mortiferæ famis cruciatu laborabant: in regione enim illa deserta & asperis montibus rigente, [in itinere patrata,] nihil aliud miseris suppetebat ad victum, quam insipidæ radices, & fragiles herbæ, necnon genus aliquod pomorum, mortem intra XXIV horas comedentibus afferentium. His commotus ærumnis pius Pater, herbas manu propria colligebat, & in nomine sanctissimæ Trinitatis benedictas ceteris porrigebat. Sæpe etiam pisces (divina, ut creditur, arte) ab aquis eductos singulis dividebat, quibus alimentis charitate Viri sancti conditis, omnes sani & incolumes per sexaginta peregrinationis dies perstiterunt.

[32] Præterea ut Dei justitiam flecteret, in tuguriolo angusto & paupere oratorium exstruxit, & in eo altare cum imagine Dei Genitricis Mariæ a naufragio erepta; [variaque caritatis & pietatis exempla,] ut juxta eam quotidie ad vesperam, Salve Rigina decantaretur. Insuper ab hinc quingentis passibus aliud sibi habitaculum angustissimum erexerat, in quod, post administratum ceteris verbum Dei & cibum corporalem, se recipiebat; ibique continuis orationibus (inter quas apparitione cælesti visus est aliquando gaudere) pœnitentiis & flagellis æternam implorabat clementiam. Cumque occasione supellectilis e mari ad littus rejectæ, inter naufragos illos, alia periculosior irarum & dissensionum tempestas esset exorta; Vir sanctus illam exstinguere volens, ex tugurio suo nudus (retentis dumtaxat braccis)

egressus, aspero verberum imbre, ex humeris sanguinem innocentem extrahente, clamorosisque gemitibus animos dissidentium ita emolliit, ut pacem subito ineuntes, ad pedes ejus confusi, & veniam deprecantes prociderent.

[33] [ac aliam prophetiam impletam, pergit ad civitatem Limanam.] At vero cum post naufragium, instructa navicula, pater Balthazar Navarrus commissarius cum quibusdam Hispanis, ad civitatem Panamam, centum inde leucis distantem, victum & navem petiturus navigasset; jam quinquaginta dies ab eorum discessu effluxerant, nec optati subsidii iis, qui in horrido deserto remanserant, hora apparebat. Itaque vigilia Nativitatis Christi elucescente, spem omnem evadendi abjicientes, in luctuosos gemitus, & miserandos clamores ora solverunt. His in angustiis vir Dei Franciscus ipsa Natalis nocte totus mente absorptus, jubilans & exsultans, quasi angelus pacis, tugurium (in quo jacebant) ingreditur, eosque pro imminenti consolatione ad laudes Deo & Virgini deferendas invitat. Verbis illius toties probatis illico fides adhibetur, luctus in gaudium convertitur, & dies natalis Christi cum magna omnium lætitia celebratur. Triduo nondum elapso, impleta est prophetia Francisci; redeunt socii, navem cibis onustam, a regali Panamæ auditorio acceptam, adducunt. Omnes refocillati usque ad portum Paytæ feliciter navigarunt; Franciscus vero itinere terrestri cum aliis religiosis ad civitatem Limanam perrexit.

## ANNOTATA.

Est regio mediterranea Americæ, sita inter fluvium Argenteum (vulgo ab Hispanis dicitur Rio de la plata) ad ortum, & montes regni Chilensis ad occasum. Qui exactius hanc regionem nosse cupit, consulat Joannem de Laet in suo Novo orbe, ubi eam lib. 14 cap. 9 fusius describit.

Puto, quod auctor Vitæ per insulas S. Dominici intelligat insulam Hispaniolam & reliquas adjacentes, quæ in parte Americæ septemtrionali sitæ sunt Vocatur autem insula sancti Dominici a Dominicopoli præcipua ejus urbe, quæ anno 1547 archiepiscopalis facta est a Paulo III. Porro amplior hujus insulæ aliarumque vicinarum descriptio videri potest apud memoratum Joannem De Laet lib. 1, cap. 112 & sequentibus.

Carthago nova, Hispanis Cartagena la Inda, & incolis Caraman dicta, urbs maritima est Americæ meridionalis in novo regno Granatensi, &episcopalis sub archiepiscopo Sanctæ Fides.

Auctor hic confundit portum Nominis Dei cum Porto Velo vel Belo, de quo loco, tamquam distincto, ita scribit Joannes Baptista Antonellus apud Joannem de Laet lib. 8, cap. 5: Porto Belo distat a Nombre de Dios leucas quinque versus Occidentem, commodissimus portus & quamplurium navium capax, fundo anchoris tenendis peridoneo &c. Forte hæc locorum confusio facta est, quia Hispani portum Nominis Dei incolentes, ob aëris intemperiem, ad Portum Belum migrarunt, ut ibidem narrat citatus auctor.

Panuma est emporium celeberrimum Americæ meridionalis in provincia Terræ Firmæ. Est autem urbs munita & episcopalis sub metropolita Limensi.

Gorgona est parva Americæ insula, potissimum nota latibulo Francisci Pizarri, cum Peruviam primo peteret.

Paita vel Payta est commodissimus Peruviæ portus, adversus incerta ventorum egregie a natura munitus, ad quem plurimæ naves appellere solent, quæ opportunitas Hispanos allexit, ut ibi municipium conderent.

## CAPUT IV.
## Iter ex urbe Limana in Tucumaniam, apostolici labores inter Indos, & prodigia ibidem patrata.

**Ut sacri missionarii confractas tam laboriosa peregrinatione corporis vires in urbe Limana resumpserunt, [Ex urbe Limana] iterum difficiliori viæ se committentes ad provincias Tucumani, vel ut vulgari nomine dicitur Rio de la plata, seu Flumen argenti, ultra septingentarum spatia leucarum per invia & arida loca, fluviis rapidis & profundis intersecta, per mille pericula, & immensos labores, solo salutis animarum zelo stimulati, contenderunt. Illis equidem barbaris & feris nationibus nuper euangelicæ claritatis lumen patris Ildephonsi a sancto Bonaventura provinciæ Andalusiæ, regularis Observantiæ recollecti prædicationibus affulserat; quem etiam præcesserat F. Ludovicus Bolanus, tunc dumtaxat diaconus, qui quoniam illorum idiomata perfecte didicerat, doctrinam Christianam & catechismum Limensem in eadem traduxit; ac postmodum factus sacerdos, magnam multitudinem Ecclesiæ gremio aggregavit, regionum illarum apostolus merito appellandus.**

**[35] Ad hanc vineam excolendam & multiplicandam noster Franciscus se destinari optavit; [in Tucumaniam profectus,] in quam ingressus, populorum, qui Socotonium & Magdalenam incolunt, ac plurium aliorum curam suscepit, ut eos quasi pastor & parochus sanctis imbueret doctrinis, & Sacramentis initiaret: ac propterea se omnibus apostolici missionarii virtutibus munivit. Imprimis opera verbis anteponens, orationibus, jejuniis, & voluntariis cruciatibus spiritum Deo, & carnem spiritui subjiciebat; modestiam, mansuetudinem, zelum, charitatem & rigidam in pedum nuditate, in habitus vilitate & in cibi parsimonia pœnitentiam exhibebat. Videbatur frequenter in ecclesia ore in terram pronus, &**

in figuram crucis extensus, ex intimo cordis longa cum Deo protrahere colloquia, & se suumque ministerium ejus protectioni commendare.

[36] [difficiles Indorum linguas addiscit,] His accinctus armis, ut bellum vitiis alienis ea expurgando & arguendo indiceret, linguis gentilium illorum difficillimis addiscendis ardenter incubuit; quas, non tam acumine ingenii & memoriæ sagacitate, quam divina communicatione transfusas accepit. Omnium namque testimonio res mira, & cælestis visa est, quod brevissimo tempore tam perfecte omnia illa confusa & varia idiomata (præsertim Toconoticum intra quindecim dies) didicerit, ut se clare intelligibilem redderet, ipsosque nativos locorum incolas facilitate & proprietate dictionum superaret, ac in sermone deficientes corrigeret. Quod cum barbari, divinam non intelligentes gratiam, adverterent, in principio arti magicæ tribuebant. Immo famæ publicæ testimonio proditum est, quod Hispanico Castellæ idiomate divinas edocentem doctrinas, variæ nationis Indi, quasi propria cujusque lingua loquentem intelligebant.

[37] [& mira charitate,] Illas itaque loquelas edoctus, in verbi divini prædicatione sedulo laboravit: percurrebat enim omnes illas horridas regiones, & mortis timore postposito, ad remotiores partes euangelicos sermones deferebat. Nulli parcebat labori, nulli difficultati, ut errantes illas oves e lupi tartarei truculentis faucibus eriperet. Omnium confessiones benigne excipiebat, afflictos & in angustiis positos verbis dulcissimis solabatur, & eorum miserias quasi proprias reputabat. Infirmorum specialem solicitudinem gerens, eos frequenter visitabat, & alimenta secum delata porrigebat. Graviter ægrotantem Indum semel invisit, cui in agone versanti & loquela privato, alte exclamans significavit, ut materno idiomate (quod se, licet alias incognitum,

intellecturum asserebat) cordis secreta, & voluntatis occulta loqueretur. Tunc æger, soluta ad voces lingua, Christianam legem doceri se, & ad baptismi Sacramentum disponi expetiit. Edoctus ergo a sancto Patre, & salutari lavacro ablutus, quievit in pace.

[38] [mansuetudine,] Ad devotissimos Viri mansueti sermones, deposita feritate, barbari convertebantur, quos sacris undis mundatos vitæ spirituali regenerabat. Alii ipsius fama sanctitatis allecti, ad eum sponte veniebant, quos benigne instructos baptizabat; sicque innumeram eorum multitudinem euangelica benignitate cicuravit. Tantaque erat ejus apud omnes æstimatio, ut quod justitiæ rigor & metus pœnarum ab illis extorquere non poterant, ipse solo vocis imperio obtineret: vocati quippe statim aderant, & quæ fieri jubebat, alacres exsequebatur.

[39] [& auctoritate barbaros instruit,] Hujus auctoritatis, quam sibi humilitate & amore comparaverat, indicium est; quod cum aliquando in die sancto Cœnæ Domini, dum Christiani sacris ritibus occuparentur, numerosa multorum millium caterva infidelis & barbara, armis instructa, bellum & mortem fidelibus illatura convenit. Ad quem inopinatum eventum perterriti Christiani, magnam sui stragem metuebant: cum vir Dei Franciscus gladio sacri verbi, ad medullas pertingentis, armatus accessit, & licet diversæ sibique ignotæ linguæ homines unius idiomatis sermone allocutus sit, adeo fructuose tamen doctrinam Catholicam, pacem & concordiam annuntiavit, ut ex illis ultra novem millia converterit, & baptisma petentes, Christianos effecerit. Quorum quidem tam vera & sincera mutatio fuit, ut eorum quamplurimi eadem nocte se simul cum Catholicis, ad Christi in columna pro nobis flagellati imitationem flagellaverint. Ex tunc autem fama publica apud gentes illas invaluit, quod unico prædicans idiomate a multis variarum linguarum fuerit distincte perceptus.

Eadem quoque mansuetudinis innatæ potentia populos prope civitatem sancti Jacobi de Estero incolentes, a mutuis, quibus conflagrabant, odiis, statim ad pacem reduxit.

[40] Augebant hanc Viri sancti famam & æstimationem magna, [ibidemque fontem prodigiose elicit,] quæ populis contulit, beneficia & miracula, quibus coruscavit. Cum in territorio oppidi Talaveræ a Matrito, e provincia & episcopatu Tucumani apud Indos terræ Socotonii euangelica dogmata prædicaret; audito, quod ob aquæ penuriam quidam ex illis populis grave paterentur incommodum, & discessum ab hoc loco cum magna sui jactura & labore meditarentur, adfuit Homo Dei, & divino lumine illustratus, non procul latere aquarum venam affirmavit. Negabant illi ob diuturnam ariditatis experientiam; at hic egressus cum eis in agrum, locum in terra omnino arida, baculo designavit, & incredulis, ut foderent, jussit. Quibus vix terram scindere incipientibus, fons aquæ dulcis & nitidæ copiosissimus emanavit; cujus tanta adhuc abundantia perseverat, ut molendinis duobus volvendis sufficiat, & usque in hodiernum diem, Fons sancti Solani ab Hispanis, Indisque terrigenis dicatur: atque insuper ad sanandos ab infirmitatibus homines, virtutem habere mirificam signis quamplurimis comprobatur.

[41] Peregrinante Viro Dei per illas Tucumani inaquosas regiones, [& alibi sociis itineris sitientibus] & ab oppido Sanctæ Fidei a Paraguai Cordubam pergente, contigit; ut in toto tridui itinere, ad quartam usque diem aqua deficeret. Erant in comitatu multi sitis æstu adusti, sed inter illos duo milites præ ceteris impatientes animam desperationi, & linguam horrendis blasphemiis laxarunt. Tunc Franciscus acri dolore ob injuriam Deo illatam commotus, venerabili viro patri Andreæ de Fizaguirra Ordinis B. Mariæ de Mercede prædicatori simul

progredienti, ait: "Licet, quas in Dei nomen evomunt, blasphemiæ illos omni gratia reddant indignos, tamen eis & aliis aquæ fontem indicare volo. Tu itaque ad collis hujus culmen ascende, ibi locum aridum, sterilem, & vento apertum, in eoque chartulam in medio plicatam invenies. Ad duos ultra passus lapis rotundus est, quem si amoveris, scaturientem aquæ venam deprehendes".

[42] Obedivit iste voci Servi Dei, & eo, quo significaverat, ordine cuncta reperit. Aqua autem ab omnibus sufficienter hausta, [aquæm miro modo suppeditat,] cum chartulam, quam infra reliquerat, assumere vellet, non adinvenit. Descendens tandem de colle, & ad Virum sanctum reversus, faciem ejus igneo quodam colore & miro splendore suffusam est demiratus. Inde viam prosequentibus, ubi patibulum juxta Cordubam erectum apparuit, ad præfatum P. Andream conversus Franciscus Solanus, duos illos milites ob illatam cuidam crudelissimam mortem in eo, die sequenti, suspendendos prædixit. Et revera missis eodem die a præside audientiæ Charcharum informationibus, jussi sunt apprehendi, & juxta verbum Prophetæ, altero mane suspendio necari.

[43] [ac præter alia] Accidit etiam aliquando, ut ab Indo ad sepeliendum defunctum filium rogaretur; cujus cum domum intrasset, puerum sanum & juxta ignem se calefacientem reperit. Arguit propterea parentes, quod sibi ita illusissent; at illi filium vere mortuum, fuisse affirmabant. Unde exiit sermo inter omnes finitimos populos, quod puer ille precibus & meritis viri sancti Solani fuisset a morte suscitatus.

[44] [miracula] Dum in Omnium Sanctorum oppido Tucumanæ provinciæ, Dei servus Franciscus infirmitate detentus moram faceret; illo spiritu, quo Christus Dominus Nathanaëlem sub ficu vidit, illustratus, quamdam Indam, Petri Soteli servam, se propriis manibus suspendio

necantem agnovit. Quare vocatum Emmanuëlem Muñez presbyterum rogavit, ut quamcitius ad tale montis latus, per hanc & illam viam iret, ac quam ibidem reperturus erat Indam, ad se deduceret. Perrexit itaque iste, sed in itinere occurrentis cujusdam confabulatione detentus, tarde nimis accessit, cum jam Indam ultimum halitum emittentem invenit. Reverso ad se sanctus Pater dolens, & mortem miseræ lugens detentionis occasionem distincte aperuit: adjungens, ut cum ad meridiem Hispanis suspensa occurreret, ab ipsismet Indis cadaver flammis comburi in exemplum ipsorum, & facinoris detestationem juberet. Post hæc autem ipse Vir sanctus gravem ad Indos sermonem habuit, cujus efficacia permoti, hoc genus mortis imposterum pro abominabili habere cœperunt.

[45] [tauros feroces] Ad majorem servi Dei Francisci Solani apud Indos reverentiam plurimum conferebat divina protectio, quæ ipsum in omni periculoso eventu peculiari assistentia tuebatur. Cum aliquando in oppido Sancti Michaëlis provinciæ Tucumani, solennis taurorum exercitatio haberetur; indomitus quidam & ferox repagula transgressus, aliquos Indos misere enecavit. Tunc forte per eamdem viam Servus Dei incedebat, quem cum a ferocis belluæ occursu nulla vis humana eripere posset, non tamen ideo timore correptus est; sed cruento animali intrepide funiculum suum objecit; illud vero continue mansuefactum ore & olfactu chordam contingebat, mox quasi in ovem mutatum ulterius progressum est. Magna fuit populi spectantis admiratio, immo & ipse gubernator obvium se Francisco faciens, ait: Sic Pater tauros feroces domas? At ille totum divino beneficio eventum humiliter adscripsit.

[46] Apud populum Socotonii notissimum est, [mansuefacit,] quod cum alia vice Franciscus Solanus eamdem Tucumani regionem peragraret, obvium habuit iridomitum taurum, qui sua ferocitate illac transeuntes

valde terruerat. Huic ad se cum furore currenti genuflexus. Vir Dei manus innocentes objecit, quas etiam curvato poplite animal exosculans pacifice in montem recessit, & liberum ipsi iter reliquit. Sic tandem & alius non mitior taurus visus est sancti Patris manus lambere, habitum ore venerari, & qui alios in periculum vitæ conjecerat, sub isto Dei Amico mansuefieri & cicurari.

[47] Cum provincias illas Vir sanctus euangelizando percurrereret, [fluvios] ad ripam rapidi & profundi fluminis venit; ubi deficiente navicula, elevatis sursum oculis, pallium super aquas stravit, & fide, quasi remige, ductus, prospero divini auxilii vento, cum omnium spectantium stupore trajecit. Alias flumen transeunti aquarum impetus pallium forte eripuit, & in decliviores undarum decursus adduxit. Ad adversam oram cum pervenisset Vir sanctus, viam ad superiora prosecutus est: quidam vero Andreas Garcia de Valdes, qui in comitatu erat, aliquantulum cum eo progressus retrogredi voluit, ut forte rejectum ab aquis pallium reportaret. Et ecce ad locum, in quem in trajectu appulerant, illud super herbas complicatum, & quasi manu humana repositum invenit, licet decurrentis fluvii tractu multo inferius fuisset deferendum.

[48] Cum ab oppido Sancti Michaëlis ad civitatem Sancti Jacobi de Estero transiret, [mirabiliter] recusato omni itineris adminiculo, ad flumen profundum, ob hibernam tempestatem plus solito rapidum & exundans, pervenit. Trajiciendi nulla spes erat; hinc metus culicum, quibus hic tractus infestari solet, illinc famis in deserta regione periculum erat: transitum exspectabant cum Viro Dei ultra viginti homines, & ex parte opposita quadraginta currus, & copiosa viatorum multitudo. Horum mœrore afflictus Franciscus, ad Deum conversus prompti remedii spem certam accepit, & circumstantibus ait: "Ne terreamini, fratres charissimi, crastina enim die hora nona (tertia

ante meridiem est) fluvium nitidum, & aquis demissum trajicietis; & quoniam vos esurire cognosco, cœnam ministrare volo."

[49] Mox, projecta in aquas reticula, plurimos pisces extraxit, [trajicit,] & se solo paratos & coctos aliis in abundantem escam distribuit; omnesque etiam illa nocte a nullo infestari culice, suæ efficacia virtutis impetravit. Die autem sequenti, & hora prædicta fluvius quietus, demissus, & ad vadum facilis apparuit; quem cum omnes ex utraque ripa trajecissent, subito ad pristinam rediit altitudinem, licet nec toto illo tempore pluerit, nec naturalis aliqua causa de novo accesserit.

[50] Quadam die locustarum densissima nubes capitanei Andreæ de Inoisa triticum invasit. [ac locustas e tritico fugat.] Vocatus in auxilium Vir Dei, assumpta stola, & factis de more exorcismis, aqua lustrali granum aspersit; positisque genibus insecta animalcula jussit intacto tritico abire, & montes infidelium quosdam digito præostendens, ac manifeste designans, ad eos illico transvolare. Auditum est a locustis Francisci, vel melius Dei in ipso loquentis, imperium; subito recesserunt, & ad designatas terras agmine denso congregatæ per aëra transierunt Sciscitantibus autem hominibus, cur eas imprecationibus non affecisset, respondit Vir pius: Quia sicut olim illis Joannes Baptista, ita nunc Indi eisdem in cibum uti solerent.

## ANNOTATA.

De hac Americæ regione egi supra in Annotatis post caput 3; quod semel monuisse sufficiat, quando eædem urbes aut provinciæ sæpius recurrent.

Arturus in Martyrologio Franciscano ad diem 6 Decembris hos duos operarios apostolicos, nescio qua auctoritate,

numero Beatorum adscribit. Hueberus quidem ad diem 3 Octobris eosdem Menologio suo inseruit; sed prudenter eo titulo abstinet, ita scribens: In occidentali India circa annum MDXL Alphonsus a sancto Bonaventura & Ludovicus de Bolangos seu, ut Hispani scribunt, Bolaños &c.

Suspicor, esse eamdem Americanorum linguam, quam noster Alphonsus Barsenæ, strenuus Tucumaniæ apostolus, præter alias decem Indorum linguas callebat, ut testatur Bibliotheca scriptorum Societatis nostræ, in qua illud idioma vocatur Tenocoticum & in indice Toconiticum cum hic vocetur Toconoticum. Quidquid sit de vero linguæ istius nomine, quod ob paucarum litterarum transpositionem facile mutari potuit, eam difficilem esse colligo ex nostro Nicolao del Techo, qui in Historia Paraquariæ lib. 1, cap. 24 de duobus Tucumanicæ vineæ cultoribus ita loquitur: Quichoam linguam uterque expedite usurpabant; Tonocotanæ difficultates in Peruano itinere Barsena devoraverat &c.

Est præcipua Tucumaniæ civitas, quæ ab Hispanis vulgo appellatur San Jago del Estero. Sic autem vocari existimo a præterlabente flumine Estero, quod aliquando exundans agros vicinos mirifice fœcundat. Sita autem est hæc urbs episcopalis, teste Herrera, octo & viginti gradibus ab æquatore versus Austrum.

Hæc Tucumannicæ provinciæ urbs ab Indis nominatur Esteco, ab Hispanis vero Nuestra Señora de Talavera. Jacet autem ad ripam fluminis Salsi (vulgo Salado) abestque a prædicta civitate sancti Jacobi del Estero quadraginta quinque leucis.

Nescio, an auctor hic per vocem a Matrito velit Talaveræ quasi notam characteristicam addere, ut ab aliis hujus nominis oppidis distinguatur; an vero intendat designare

alium locum, qui ab Hispanis dicitur Juntas, eo quod duo itinera ad argenti-fodinas Potosianas illic coëant, & de quo sic scribit Joannes de Laet in opere supra citato lib. 14, cap. 12. Ab utroque oppido tam S. Michaële, quam Talavera proficiscuntur ad Junctas, sive alio nomine Madrit, qui locus distat ab illo quidem quinquaginta, ab hoc tantum viginti quinque leucis.

Provincia Charcarum, vulgo dicta de los Charcas, est regio Americæ meridionalis & pars australis regni Peruani versus mare Pacificum & regnum Chiles. Ampliorem illius descriptionem vide apud Joannem de Laet lib. XI, cap. 1.

Inter varia Americæ oppida, sancti Michaëlis archangeli nomine insignita, hic indicatur illud, quod Hispani ad distinctionem aliorum communiter appellant San Miguel de Tucuman. Situm est autem viginti & octo leucis ab oppido S. Jacobi del Estero juxta viam, quæ ad Charcarum provincias ducit, ad radices asperrimornm montium loco opportuno & riguo.

## CAPUT V.
## Duplex præfectura in Ordine, utriusque abdicatio, zelus ejus in urbe Limana, & efficacia tum publicarum tum privatarum exhortationum.

His temporibus capitulum provinciale in valle de Xauxa, præsidente patre Francisco Antonio Ortiz provinciarum Peruanarum Commissario, [Tucumanicæ provinciæ] celebratum est, in quo vir Dei Franciscus custodiæ Tucumanicæ moderator eligitur. Ad hoc munus non intumuit, sed tanto ferventius ab eo liberari rogavit, quanto avidius a multis aliis officia similia ambiuntur. Obedientia tamen adstrictus acceptavit, ac ut Custodis debitum religiose impleret, conventus sibi traditos

diligenter visitavit, in quibus ut veræ sanctitatis speculum elucebat.

[52] Cum in oppido Talaveræ ab Estero aliquamdiu Custos hæsisset, [Custos electus,] observatus est a Religioso pio, & fide digno noctes insomnes in orationibus & flagellationibus transigere, visus est cilicio & asperrimis ferarum crinibus ad cutem indutus. Auditus est etiam verbis cælestibus & ignitis suas promere exhortationes, & ab omni verbo jocoso, aut otioso abstinens, semper ad divinum obsequium subditos provocare. Tandem vir Dei Franciscus multos in hac summi Patris-familias vinea excolenda perpessus labores, anno in officio Custodis expleto, cum pro renuntiationis acceptatione apud Superiores frequenter instaret, votorum compos efficitur, ac insuper a præfato Commissario ad Civitatem Regum vocatur, ut ibi Recollectioni nuper institutæ fundator & rector præesset.

[53] [ac postea conventui Limano præfectus] Igitur obedientiæ morem gerens, ex provinciis illis discessit; unde populorum, & præsertim Indorum magna fuit mœstitia: quippe qui dicerent se suo sancto Patre & consolatore privari, dolebantque se tam parum ejus præsentia potitos. Quidam autem ipsi peculiariter devotus ne absque charo ejus pignore remaneret, ab eo funem, quo cingebatur, petiit. Cujus quidem contactu magna sunt operata miracula, nec est in illa regione mulier parturiens, quæ sanctum Francisci Solani nomen non invocet, & se ejus chorda non cingat; unde in oppido S. Jacobi de Estero cum magna reverentia servatur. Tantum autem fuit in illis partibus Viri sancti desiderium, ut multoties pro revocando ipso apud prælatos institerint; qui votis tam justis annuissent, nisi nimia locorum distantia, ætas, & infirmitas continua Francisci obstitissent. Quidam vero Religiosus post aliquot annos

ex provinciis illis reversus, Indos de sancti Patris absentia tristes, & de ejus reditu adhuc fuisse solicitos affirmavit.

[54] [munera illa abdicat,] Commissarii generalis mandato Limam revocatus vir Dei Franciscus Solanus novo Recollectionis sanctæ Mariæ Angelorum cœnobio vicarius & præfectus præponitur. Hoc quidem officium obedientia victus suscepit, sed humilitatis urgente virtute brevi retinuit, necnon ad demissionis voluntariæ acceptationem crebris instantiis Superiores adegit. Postea a P. Joanne de Monte-majori Commissario generali ejusdem conventus guardianatum delatum lacrymis, suspiriis ac precibus a suis, quos infirmiores reputabat, humeris rursus abjecit; & ut se a prælatorum oculis subduceret, Truxillum quasi ad quoddam latibulum mitti curavit, ubi aliquamdiu commoratus est; donec tandem Limam pro majori virtutis theatro, in capitulo provinciæ ad curam conventus S. Mariæ Angelorum obeundam accerseretur. Hoc tamen per quatuor menses administrato, post multas supplicationes ad optatam subditi vitam redire permissus est.

[55] [ac totus in salutem animarum incumbit,] Dum ergo in Limana civitate & locis conterminis moraretur, se a Deo illuc vocatum agnoscens, totis viribus in hoc agro expurgando, curando, & fœcundando laboravit; modo prædicationi linguam solvens, modo confessionibus aurem aperiens, modo charitativis operibus manum extendens. Frequenter in plateas civitatis prodibat, ubi educto (quem sub manica gerebat absconditum) Crucifixo, verbis ignitis & apostolicis prædicabat; ibi Salvatoris nostri passionem, amorem Dei, odium vitii, virtutis honestatem audientibus populis commendabat. Aliquando per urbis calles progrediens, erecto Crucifixo, voces salutis proferebat; ubi tantus erat accurrentis multitudinis confluxus, ut per vias communes transitus occluderetur. Hinc etiam in ecclesias, ad quas peculiari

aliqua celebritate populos convenisse viderat, ingrediebatur, & ascendens suggestum, breviter sed ferventer, divinos proferebat sermones, & inde se ad idem ministerium alio velociter transferebat.

[56] Sæpe divino spiritu animatus ad theatra & spectacula profana pergebat, [& tam publicis concionibus,] & postposito humani respectus rubore, in eminentem locum, vel in ipsam scenam conscendebat, ac Redemptoris pro nobis patibulo crucis affixi cruentam ostentans figuram, omnes ad acerbam passionis tragœdiam verbis, lacrymis, & suspiriis invitabat: sæpe post exactas coram seraphici Doctoris Bonaventuræ (cui devotissimus erat) imagine longas orationes, ex generali Superioris sibi facta licentia, exibat in publicum, & res divinas miro mentis & oris ardore promebat. Sæpe ad loca ludis & recreationibus mundanis destinata, ac proinde blasphemiis, juramentis, & omnibus patentia peccatis se conferens, ludentes, blasphemantes, rixantes animose redarguebat, & a malis conversationibus retrahebat, hisque mediis maximas operatus est conversiones.

[57] Egressus sic aliquando ad prædicandum, in quatrivio civitatis primam habuit exhortationem, [eum magno populi concursu habitis,] cui in principio tres aut quatuor ad summum aderant auditores. Sed elato in altum Crucifixo, eos tam potenter ad amorem divinum provocare cœpit, ut statim magna populi multitudo accurrens, viarum exitus intercluderet. Inde sequentibus turbis, ad plateam perveniens, tandem post geminam concionem, vix præ nimia circumstantium frequentia sese expedire, & ad conventum redire potuit. Solebat autem terminatis hujusmodi sermonibus pede præpropero ad monasterium reverti, & ut applausus se sequentium effugeret, in aliquo ejusdem angulo latibulum quærere.

[58] Insuper privatis colloquiis moniales in monasteriis, [quam privatis colloquiis] captivos in carceribus, ægros in xenodochiis, seculares in occursibus & visitationibus instruebat; hocque salutari discretæ & secretæ correctionis, aut confabulationis remedio, multos ad viam salutis reduxit. Accessit aliquando ad conventum Incarnationis civitatis Limanæ; ibi monialem quamdam, inimici tentationibus concussam, & de susceptis religiosæ vitæ mortificationibus afflictam, tædioque affectam, unico spirituali colloquio ab omni cordis angustia liberavit, & pristinæ quietis compotem reddidit. Sic & aliam monasterii immaculatæ Conceptionis ejusdem civitatis religiosam a claustro discedere cogitantem, verborum efficacia a proposito deterruit, & ad meliorem statum reduxit. Cum in monialium Discalceatarum sancti Josephi monasterio sæpius prædicare soleret, incredibile est, quantum devotæ illæ virgines sub tanto Magistro & concionatore in perfectione Christiana, & regulari observantia profecerint.

[59] Petiit aliquando enixe & cum magno cordis mœrore vir quidam secularis a patre Joanne Lainez, [quosdam movet ad peccatorum fugam,] ut sibi prompte pœnitentiæ Sacramentum impertiri dignaretur. Causam tam instantis, & lacrymosæ petitionis rogatus, respondit, sibi per claustrum conventus ambulanti occurrisse religiosum quemdam facie ignotum, qui genuflexus ipsum oravit, ne deinceps Deum offenderet, &, ut peccata confessione deleret, admonuit. Interim servus Dei Solanus illac forte transivit, quem pœnitens secularis e vultu agnoscens, illum esse, quo admonente & rogante, spiritum compunctionis susceperat, testatus est: ac postmodum adeo menti ipsius sacra Viri Dei exhortatio impressa remansit, ut & Missæ frequentius adesse, & Sacramentis crebrius cum magno lacrymarum profluvio participare sit visus.

[60] [alios ad perfectionem] Juvenem quemdam forte in eodem claustro repertum hortatus est Christi Famulus, ut divina servaret præcepta, & Deum toto corde diligeret; hisque dictis, ab eo recessit. Ita vero adolescentem ad contritionem movit, ut statim de seculi contemptu, & de sacro religionis instituto amplectendo vehementem impulsum sentiens, mox habitum Minorum in conventu sancti Francisci induerit. Invisit semel Vir Dei doctorem Albertum de Acuña, decanum audientiæ & cancellariæ Civitatis Regum, quem de rebus cælestibus allocutum, adeo commovit, ut ipse, aliique confabulationi præsentes, se ejus verbis mire inflammatos fuisse testati sint: ita ut dicere potuerint: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur, & aperiret nobis Scripturas?

[61] [& amorem Dei excitat,] Mariæ Arbanal, in Franciscanum Ordinem multum propensæ, in spiritus fervore ter aliquando repetiit: Filia, amare Deum; & in tertia repetitione suspensus, & quasi a se ipso abstractus remansit. Illa vero his vocibus, quasi ignitis jaculis, sauciata magnum interius ardorem, & ineffabilem cordis dulcedinem sentiebat; adeoque ipsius brevis hæc exhortatio impressa imposterum remansit, ut eam semper auribus suis intonari cogitaret. Immo tanta erat ejus sermonum efficacia, ut quidam fidei probatæ vir asseruerit, se dum sanctum Patrem loquentem audiret, quasi animi deliquium ex amoris & teneritudinis violentia pati solere.

[62] [alios denique ad confessionem,] Capitaneum Franciscum de Vileja sibi multum amicum & devotum Dei Servus aliquoties rogavit, ut quod ab ipso peteret, non denegaret; cui ille, temporale aliquod (ut jam diu optabat) se collaturum beneficium existimans, libenter assensit. Tunc sanctus Pater: Rogo, ut quam citius poteris, peccata confitearis, & deinde ea diligenter caveas. His

monitis acquievit capitaneus, & præmissa confessione vitam emendavit, ac paucis post annis intestatus decessit.

[63] [& pœnitentiam inducit.] Anno Domini MDCIX magnus terræ motus Civitatem Regum nocte concussit; die vero sequenti orantibus coram sanctissimo Sacramento, patenti in ecclesia Minorum, fratribus & secularibus, repentino motu terra contremuit, quo trementes ac perturbati omnes fugam arripere tentaverunt. Ad quæ vir Dei Franciscus stans, & populum ab egressu avertens, tam sancte ac fervide prædicavit, ut omnes mire compuncti peccata detestari inceperint, nec non lacrymis, suspiriis, atque orationibus divinam imploraverint misericordiam, & placaverint justitiam.

## ANNOTATA.

Hæc est Peruviæ vallis seu provincia, quæ verosimiliter nomen ab interfluente fluvio Xauxa accepit. Patet hæc vallis quatuordecim leucas in longitudinem, & quatuor aut quinque in latitudinem, atque undique cingitur a nivosis montibus. Abest autem a metropoli Lima triginta sex, vel quadraginta leucis, ut alii volunt.

Metropolis Peruviæ, quæ a valle in qua jacet communiter vocatur Lima; ab Hispanis nominatur Ciudad de los reyes id est Civitas Regum. Notissimus est ejus situs apud cosmographos passim obvios. Quare huic civitati describendæ hic non immoror.

## CAPUT VI.
## Cives Limani ejus prædicatione miro modo ad pœnitentiam inducti, & exstases illius in concionibus.

Cum olim Assyriorum caput Ninive omnium scelerum corruptela fœteret, divino mandato eam ingressus est Jonas, [Cum Beatus habuisset concionem de spirituali animæ ruina,] & futuram post quadraginta dies ejus subversionem prænuntiavit. Attamen, quia immutabilis Deus novit mutare sententiam, si noverit homo emendare delictum; ideo secuta Ninivitici populi pœnitentia, cælestis furoris impetum placavit Magna etiam & enormia Limanæ civitatis delicta læsi Numinis justitiam provocabant, cum ecce vir Dei Franciscus Solanus (ut pie creditur) spiritu divino impulsus quadam die ad vesperam, anno MDCIV e conventu Recollectionis sanctæ Mariæ Angelorum (cui tunc præerat) ad civitatem egressus est, in exitu dicens ostiario: "Commenda me Domino, quoniam ad magnum ei obsequium præstandum vado." Urbis plateam majorem secutus, gravi & modesto, ac pœnitentiam inspirante vultu, se coram populo sistit; quo congregato, vitiorum corruptionem, concupiscentiam & libidinem acriter reprehendere cœpit.

[65] Quoniam autem sacris concionatoribus a Domino dictum est: [quam cives Limani de subita urbis suæ destructione interpretati fuerant,] Non estis vos, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis; factum est, quod sicut Christus, dum illum Euangelii locum Math. 26, Solvite templum hoc, & in triduo reædificabo illud, in medium adduxit; non de templo, sed de corpore suo intelligi voluit: ita Franciscus, fœces peccatorum acri reprehensione perstringens, ac spiritualem depravatæ urbis perditionem annuntians, textum illum 1 Joan. cap. 2, Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ; dum allegavit, non civitatem illam materialem, sed animas habitantium, triplici illo carnis, avaritiæ & superbiæ malo cito destruendas, & gravi supplicio puniendas minabatur. Qui vero Prædicatoris linguam movebat Deus, audientium

captum ita temperavit, ut omnes de civitatis Limanæ destructione Servum Dei prophetice loqui existimaverint.

[66] [tota civitas terretur,] Hinc ergo rumor universam urbem de imminenti ejus eversione percurrens, omnes tremore & pavore mortis perculsit; nemine dubitante futurum, quod a Viro tam sancto, & toties vera annuntiasse probato, prædictum vulgabatur. Ergo se tota civitas luctu & mœrore induit; omnis ætas & sexus, omnisque conditio pectora tundebant, misericordiæ divinæ preces propitiatorias offerendo: panduntur ecclesiæ, patet augustissimum Sacramentum, fiunt amarissimæ confessiones, quibus excipiendis magnus confessariorum urbis numerus non sufficiebat.

[67] [& ad publicam pœnitentiam commovetur,] Alii a multis annis crimina horrenda celantes, tunc ea, postposito verecundiæ freno, effusis lacrymis & voce flebili annuntiabant: alii cum ad sacerdotis pedes pro privata confessione præ multitudine prohiberentur accedere, abdita conscientiarum vulnera publice manifestabant. Inter hos fuit quædam mulier, adeo divini judicii timore perterrita, ac de scelerum suorum fœditate convicta, ut alte exclamaret propter sua crimina perituram civitatem, præsertim cum etiam hac ipsa nocte incestuosam cum proprio filio copulam proposuisset habendam. Puer etiam quidam duodecennis (ut videbatur) ad pedes Superioris conventus sancti Augustini provolutus, adeo horribilem & humanam etiam excedentem malitiam confessus est, ut postmodum eam secum confessarius recogitans, non hominem, sed diabolum sub hac figura latentem fuerit suspicatus. Hac nocte, inveterata odia, & interni rancores depositi sunt, amicitiæ renovatæ, debita soluta, rapta restituta, fama compensata; ac tandem tales fuere fletus, dolores, pœnitentiæ, ut hanc dexteræ divinæ mutationem exstitisse nullus ambigendi locus superfuerit.

[68] [qui terror etiam pervenit ad religiosos,] Pervenit etiam ad religiosorum monasteria salutaris ille terror; dum conventus sancti Dominici patres in gemitus & clamores illico prorumpentes, omnes afflictionis voluntariæ armis accincti, aut flagellis asperrimis, aut catenis ferreis in se ipsos sævirent. Mox ordinata processione, a parte novitiatus in ecclesiam sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum honorifice deferendo, devotis cantibus pias Litaniarum preces cælesti justitiæ placandæ obtulerunt.

[69] [& ad aures archiepiscopi & proregis, qui posterior, re examinata,] Regebat eo tempore Peruanum regnum excellentissimus vir comes Montis-regalis, qui audita civitatis commotione ad se consilium auditorii regii eadem nocte convocavit, cum quo expensis repentini terroris circumstantiis, illustrissimum quoque urbis archiepiscopum Toribium Ildephonsum Mogrovejo duxit desuper consulendum. Re igitur invicem collata, placuit antistiti & proregi per provisorem archiepiscopatus Michaëlem de Salinas patri commissario generali provinciarum Ordinis seraphici Peruanarum in eadem urbe existenti significare, ut casum diligenter examinaret. Vocatus itaque vir Dei Solanus ad præsentiam commissarii intrepide accessit, & cuidam fratri, ne timeret, dicenti respondit: Scias, frater Joannes, me ex divino prædicasse mandato. Jussus ergo prædicationis verba repetere, illum præsertim epist. 1, Joan cap. 2, ℣ 16, textum, ac reliquam concionem tam efficaciter & serventer adduxit; ut omnes (qui plures aderant) religiosos ad planctum commovisse, & multorum capillos præ timore judicii divini erexisse notaretur.

[70] Declaratio autem Viri Dei, qua se de animæ, [judicat, hanc populi interpretationem divino nutu factam esse.] non de civitatis destructione, verba hæc intellexisse asserebat, scriptis consignata ad archiepiscopum &

proregem delata fuit; qua ad sedandam populi formidinem & perturbationem publicata, cum nihilominus timor cresceret, & planctus augeretur, gubernator prorex ad assistentes ait: "Ne frustra laboremus: opus enim hoc Dei esse patet, quo sua Majestas indurata hominum corda, & ad malum proclivia voluit emolliri, & ad bonum converti". Et revera divino plane impulsu Franciscum hæc protulisse patet: quamquam enim nihil aliud intendisse sibi conscius esset, quam animæ triplici illo jaculo percellendæ spiritualem destructionem; tamen in Dei mente materialem civitatis jacturam populo fuisse prænuntiatam, nisi forte conversus iram ultricem placasset, pie & rationabiliter judicari potest.

[71] Fructuosæ autem prædicationis materiam & stylum sanctus Pater non aliunde, [Vir sanctus inter concionandum] quam ex assidua oratione, aut ex divino hauriebat eloquio; inde enim pungentes illas & acres deducebat reprehensiones. Ex contemplationis, & sacræ Scripturæ fontibus aquas uberes traxit, quibus universam terræ illius faciem irrigavit. Nec erat sterilis aut arida Francisci prædicatio, eo quod motus, quos aliis suggerere intendebat, prius sibi familiares omnino effecerat; ideoque auditoribus planctum suasurus & fletum, imitandum in vultu & oculis præferebat mærorem. Interim divina explicando mysteria, extra se aliquando rapiebatur, & eorum consideratione liquefactus, vocis & sensuum usu deficiebat, facundisque verbis silentium magis substituebat.

[72] Quadam die solennitatis sancti Didaci dum in conventu Limano sermonem habens pretiosam ejus mortem referret, [aliquando in ecstasin rapitur.] in hæc verba, ab illo quondam prolata: Dulce lignum, dulces clavos, deveniens; adeo se liquefactionis teneritudine sensit immutatum, ut in medio sermonis tacere, & a se omnino abstractus e cathedra resilire sit coactus. Cum

semel in die Visitationis B. Mariæ Virginis monialibus S. Claræ verba salutis proponeret, in illo Cantici loco: Et exultavit spiritus meus, oculis ad cælum erectis, mira de Virgine, & de Verbo in ejus visceribus humanato adduxit. Iterumque eadem verba: Et exultavit spiritus meus proferens, tantam sensit dulcedinem & exultationem, ut extra se raptus, capite ad cratis marginem inter brachia reclinato, quasi sponsa Canticorum languescere sit visus. Diram Salvatoris passionem dum in imagine Crucifixi exhiberet, lacrymarum imbre perfusus, induratos & insensibiles auditorum animos ad contritionem & gemitum excitabat. Uno verbo, hic verus seraphici Patris filius, & fidelis discipulus, populo vitia & virtutes, pœnam & gloriam cum brevitate sermonis annuntiabat.

## ANNOTATA.

End Notea Is fuit nobilissimus dominus Gaspar de Zuñiga y Azevedo, Hispanice dictus comes de Monterey, quod hic Latine est Montis-regalis.

Innocentius XI summus Pontifex hunc archiepiscopum Limanum anno 1679 in Beatorum numerum retulit, ejusque festum in quibusdam locis Officio & Missa celebrari permisit ad diem 27 Aprilis, quamvis 23 Martii obierit. Nuper autem catalogo Sanctorum etiam solenniter adscriptus est. Cum igitur post editos hos duos menses primum numero Beatorum adscriptus sit, de eo agetur in supplemento Operis nostri.

## CAPUT VII.
## Destructio Truxilli diu ab illo prædicta, aliaque multa spiritu prophetico prænuntiata.

[S. Franciscus Solanus spiritu prophetico] Orationis fons profundissimus est, a quo amœnissimi scaturiunt rivuli, &

quasi e fœcundissima causa multiplices effectus; inde profecto oriebatur illa cælestis luminis participatio, qua Servi Dei illustrata mens futuros eventus in tenebrosa contingentiæ caligine videbat, & inscrutabilia humani cordis arcana penetrabat, quaque magnum prædicationibus suis æstimationis pondus addebat. Suppetunt equidem innumera illius revelatæ cognitionis exempla, quorum præcipua, & magis utilia hic enumerare sufficiet.

[74] [Truxilli destructionem] Cum, ut supra diximus, e Limana civitate officia sibi oblata detrectaturus Truxillum se recepisset, & in illo Conventu delatum sibi Guardiani munus ægre gestaret; die XI a Novembris, MDCIII, sancto Didaco sacra, sermonem ad populum habens, præostensam sibi divinitus ejusdem civitatis destructionem ac ruinam quindecim, antequam eveniret, annis prænuntiavit: addiditque quod quantumvis ea (in qua loquebatur ecclesia) terræmotus violentia concuteretur, ac super pulpitum, in quo concionabatur, parietum ruentium moles decideret; hoc tamen intactum nullo modo confringeretur. Quæ omnia juxta ejus verbum impleta sunt; mensis namque Februarii die XIV, anno MDCXVIII, octavo videlicet post ejus obitum, horribili terræmotu loci illius ædificia & templa solo æquata sunt, ac sub eorum ruinis magna hominum copia sepulta: ipsa autem (in qua hæc prophetaverat) cathedra absque detrimento perstitit, & sub eadem bona quædam & inops vetula periculum & mortem evasit.

[75] [& mulieris mortem prænuntiat.] Hæc etiam dum prædiceret Vir sanctus, Didacum Sancium & Mariam Ortegam conjuges, ut fugerent a ventura ira admonuit; qui sermonibus ejus obedientes in civitatem Limanam se receperunt; ubi cum aliquando P. Didacus Curiel observans recollectus præfatæ Mariæ ob ærumnas, quas Limæ patiebatur, reditum Truxillum suaderet; respondit

illa, se a sancto P. Solano olim fuisse edoctam, quod si tempore terræ motus, infallibiliter futuri, illic moraretur, sub ruinis foret misere sepelienda. Quæ quidem Servi Dei prophetia etiam in hac parte completa fuit, cum infelix illa mulier, Truxillum paulo ante terræ motum reversa, sub decidente macerie suffocata remansit.

[76] Periculosi partus doloribus ad gravissimos agonis conflictus domina Maria de Sylva Georgii Manrici de Lara, [Feminæ faustum partum prædicit,] Ordinis Sancti Jacobi equitis, & in regia audientia de la Plata auditoris uxor devenerat; desperabatur a medicis exitus prolis, cui nulla nisi sectionis via patebat. At quoniam ea mortis periculum afferre solet, ideo ad quemcumque tam duri remedii eventum, Sacramentorum receptione parturiens mulier disponitur. Quæ illa mœsto corde recogitans, sibi ante quatuor menses a patre Francisco Solano dictum meminit; ut ipsum cum pariendi tempus instaret, ad se vocaret, quia magnum ex sua præsentia erat receptura subsidium. Rogatus itaque Vir Dei paratum crudelis sectionis remedium statim dissuasit, ipsam protinus pulchrum masculum parituram affirmans: interim augebantur prægnantis dolores, caligare cœperunt oculi, & sensuum officia deperdi; ita ut crederetur ab omnibus in mortis agone versari.

[77] Aderat inter alios secretarius major regiminis Peruani, [& prolis sexum divinitus novit.] qui in ultimum medelæ experimentum moribundam chorda patris Solani circumdari voluit: vix illam sacer funis contigit, cum statim ad se reverti, viresque resumere visa est. Tunc præfatus secretarius & Servus Dei in aliud proximius cubiculum recedentes, ibi brevi spatio temporis transacto, liberatam a partu puerperam, & egregiam peperisse feminam, ab omnibus & ab ipsa obstetrice acceperunt. Vir autem Dei, quem infallibilis veritas eventum certa prædictione docuerat, deceptos omnes in sexu prolis respondit:

Observent, inquit, diligenter; quia masculus est, & Francisci nomine decorandus. Inspecto ergo fœtu, pulcher & decorus filius esse comperitur, ac in sacro baptismatis lavacro, ob Servi Dei reverentiam & amorem, Francisci nomen accepit. Quamquam autem mater illa plurimos in temporum decursu genuerit filios, iste tamen omnibus vita longiore superstes fuit.

[78] Pater Ludovicus ab Ayala Societatis Jesu religiosus, [Cuidam juveni religionis ingressum & patris sanationem,] cum adhuc in seculo degeret, se aliquando vitam regularem amplexurum a viro Dei Francisco audivit. Cujus & aliud spiritus prophetici irrefragabile signum habuit, dum laborante mortali ægritudine, & a medicis desperato ipsius parente Ferrerio de Ayala, eum Servi Dei precibus commendaturus ad conventum S. Mariæ Angelorum accessit. Nam ab oratione, cui ab omni humana conversatione segregatus a quibusdam diebus vacabat, se ipso desistens Vir sanctus, ac se conveniri prævidens, ad ostium monasterii perrexit; & solita vultus lætitia alterius verba præveniens, bis repetiit: Valde ægrotat pater tuus; hæc tamen infirmitas non est ad mortem. Effectus præter humanam spem subsecutus, ejus promissum confirmavit.

[79] [alteri religioso infirmi sanitatem,] Similiter & patri Andreæ ab Fizaguirra Ordinis B. Mariæ de Mercede religioso ad se pro vicario generali dictæ Religionis ægrotante, precibus commendando venienti occurrit in claustro Franciscus, eumque præveniens, ait: Dic patri vicario generali, ne Deum tentet; sed protinus e lecto consurgat. Insuper plurimos casus ipsimet P. Andreæ prædixit; qui cum omnes successive evenerint, propheticum Servi Dei spiritum contestantur.

[80] [matri transitum filii ab uno Ordine ad alium,] Filius Mariæ de Ortega induendo sacræ Augustinianæ

religionis habitu admissus, jam corona monachali signandus, & veste regulari erat insigniendus; quo audito, mater ad conventum S. Francisci accurrit, & patri Solano conqueritur, quod filius jam pridem Ordini Minorum a se consecratus, modo Augustiniana tunica vestiretur. Cui beatus Pater respondit: Religiosus quidem puer erit; non tamen in sancti Augustini familia. Domum ad hæc reversa mulier adolescentem ab incepto proposito mutatum invenit; qui postea Franciscanum ingressus Ordinem, frater Lucas Sancius est appellatus.

[81] [infantis,] Dum semel per Limanæ civitatis vias prædicaturus exiisset, simul cum copiosa plebis multitudine accessit serva quædam Nigra semestrem puellulum gerens; ad quam conversus Vir Dei, & infantulum allocutus, ait: Parve angele mori, antequam peccare. Has, licet incertæ significationis, voces excepit serva parens, & lacrymabunda domum reversa est: fletus causam quærenti patronæ, respondit; se certum filioli interitum dolere, quem vir Dei Solanus prædixerat moriturum. Et revera notatum est, quod cum ægrotare cœpit Franciscus, infirmatus est puer, & triduo post ejus mortem e vivis decessit.

[82] [& viri mortem,] Ambulanti per claustrum conventus Limensis homini depravato, & vitiorum corruptione multorum contaminato, obvium se fecit Vir sanctus, eumque monuit, ut a via pessima ad salutis semitam media pœnitentia converteretur, quoniam futuri erant dies ejus pauci, & finis interitus imminebat. Perterritus admonitione peccator compunctus est, & ab iis, quibus sibi dicta retulerat, amicis eodem anno febre quartana occubisse memoratur.

[83] [denique alteri prolis ortum & uxoris obitum prænuntiat.] Ægrotavit aliquando periculosa ægritudine uxor Gregorii Lopez; parentes vero infirmæ in maritum

male affecti, se omnem, ea defuncta, sublaturos esse (quam attulerat) dotem minabantur. Afflicti hominis casum edoctus Franciscus, ipsum admonuit, ne frustra mœrore consumeretur, nascituram quidem ei in brevi ex uxore filiam, quæ ab hujusmodi formidine ipsum liberaret; conjugem autem (Deo sic ordinante) morituram. Veritatem assertionis eventus subsecutus probavit.

## ANNOTATA.

Conjicio huic civitati de la Plata nomen inditumesse a fodinis argenti, quod Hispani plata appellant. Ut ut est, in illo Peruviæ oppido celebratur conventus juridicus totius provinciæ Charcarum.

## CAPUT VIII.
## Cogitationum cognitio, aliarumque rerum occultarum notitia, & aliquorum ægrorum sanatio.

Domina Joanna de Sylva, P. Bonaventuræ a Salinis & Corduba mater, gravibus infirmitatibus jam pridem afflicta, [Imperat mulieri, ut dæmonis suggestionem,] & lecto detenta a Viro Dei visitari solebat. Quadam vero die ad vesperam R. P. Joannes Sebastianus, Societatis Jesu Provincialis, eamdem invisens, post proposita consolationis verba & salutis monita in angulum cubiculi cum servo Dei Francisco secessit: qui dum invicem demisse confabularentur, & infirma tranquille quiesceret, subito infremens spiritu Vir sanctus ad lectulum properavit, & ægrotam, ut dæmonis suggestionem (quam tunc patiebatur) detegeret, interpellavit.

[85] Cui illa respondit, satanam modo in mentem ipsius inducere velle perversam cogitationem, [quam divinitus agnoverat,] graviora scilicet ipsam jam pati in cubili, quam Christus sit passus in cruce, & acerbiores sicut &

diuturniores esse ejusdem dolores, quam Salvatoris cruciatus; in quo cum divinitas humanæ naturæ roboraverit infirmitatem, & trium horarum spatium tormentis acrioribus dederit finem, non erat, cur illius ærumnæ suis conferrentur. Admirati sunt circumstantes hostis tartarei fraudes, sed ad spiritum Viri Dei, invisibilia penetrantem, magis obstupuerunt; qui, quam nec verbis, nec signis, nec motibus infirmæ noverat tentationem, didicerat revelatione.

[86] Eamdem ad ultimam vitæ periodum tandem perductam, [& angeli custodis inspirationem aperiat.] consiliis & orationibus sublevaturus invisit: quæ cum ob vehementiam dolorum supina jacere teneretur, statim vultu lætitia perfuso super lectulum sedere incepit. Accessit ad eam Vir Dei, & divino lumine, quid novi contigisset agnoscens, stupentibus ob casum aliis, eam verbis dulcissimis monuit; quatenus ob gloriam Dei, & ad circumstantium utilitatem, visionem, quam viderat, & nova, quæ cælestis nuntius attulerat, enarraret. Cui illa morem gerens ait, se angeli sui custodis benigno potitam aspectu, ac ejus didicisse colloquio, condonata sibi fuisse peccata, & in brevi se carne solvendam, ac ab eodem in regnum beatitudinis transferendam: & his dictis intra exiguum tempus suaviter exspiravit. Ex quo manifeste liquet, Virum Dei aut mundis purgatisque oculis angelicam detexisse præsentiam, aut, quod corporalis acies lucis non poterat, prophetici spiritus intelligentia retulisse.

[87] Frater Bernardus Arias Minor laicus, dum annum probationis ageret, graves circa vocationem religiosam patiebatur tentationes; [Secretam cujusdam tentationem,] cumque aliquando Viro Dei celebranti ministraret, urgentissimum dæmonis de repetendo seculo, & habitu abjiciendo sensit impulsum. Hanc inimici suggestionem divino lumine perspiciens sanctus

Sacerdos, occasione lotionis manuum ministro vicinior factus, voce demissa (ne a circumstantibus audiretur) ait: Noli Frater vestem exuere, nec diabolicæ voci obedias; cave, ne te decipiat. Obstupuit ad hæc tentatus novitius, & sibi prius ignotum Patrem cœpit imposterum, ut prophetam reputare, ejusque monitis acquiescens, in sancta vocatione perseveravit.

[88] [& occulta alterius peccata cognoscit,] Quidam Limanum conventum ingressus, ut Religiosum sibi familiarem inviseret, dum vocatum in claustro exspectat, a Viro Dei convenitur; & an amicum quæreret, interrogatur. Qui de charo sibi Religioso illum sciscitari existimans, annuendo respondit. At pius Pater se non de temporali amico, sed de vero & æterno animarum dilecto Christo (quem hic graviter offenderat) se locutum affirmans; hominem solicite monuit, ut a peccatis abstineret, ac proximam peccandi cum tali muliere fugeret occasionem, meretricem illam omnino desereret, ac ne illa nocte ob paratum ei mortis laqueum in urbem exiret. His verbis emollitus, & stupefactus peccator ad promptam confessionem inductus est: quæ quia repentina nimis defectu præparationis videbatur, instavit * Franciscus, ac in suam curam ejus dispositionem suscepit.

[89] [ac confitenti suggerit.] Dum ergo ille cellam Servi Dei ingressus conscientiæ reatus confiteretur, hic adeo distincte omnia delicta ei reducebat in mentem, quasi se præsente & vidente cuncta patrasset. Tandem cum pœnitens nihil ulterius latere putaret, addidit prudens Confessarius, unum adhuc esse cordis vulnus ignotum; illo vero econtra asserente, iterum adjecit: Numquid recordaris hujusmodi puellæ, quam in perpetuæ jacturæ discrimen adducis? Sic igitur confessione completa, imposterum a pessima mulieris conversatione abstinuit. Memor autem integri vaticinii nocte illa e domo egredi non est ausus, & recte quidem: nam postea quidem alius,

qui eamdem meretricem affectu intensissimo deperibat, ipsi ingenue dixit; quod si præfata nocte ad domum mulieris accessisset, procul dubio pugione confodiendus, in ipsis (quas idem ei paraverat) insidiis periisset. Hæc omnia homo ille ex peccatore justus, & ideo accusator sui factus, ad Dei gloriam, necnon ad tanti Patris honorem juridice declaravit.

[90] [Odia secretæ detegit,] Cum Gregorius Lopez secretum odium erga quemdam in corde foveret, a Viro Dei in confessione audiri poposcit. Cui ille: Esto, sed prius vade reconciliari proximo tuo, quem injuriis affecisti. Obstupefactus homo paruit, ac venia ab eo (quem læserat) impetrata, ad salutarem pœnitentiam cum summa animi sui consolatione receptus est. Cum etiam mulier quædam Maria de Valera aliquando se Servi Dei precibus commendaret, respondit illi Vir Sanctus: Depone odium ex corde, & inimicitiam (qua Deum offendis) exstingue, ac tunc pro certo habeas, quod te divina misericordia multis cumulabit beneficiis. His verbis compuncta mulier secretam, quam paternæ hereditatis occasione in fratrem suum germanum conceperat aversionem, in amorem & pacem convertit; ac postmodum plurimis a Deo gratiis juxta Prophetæ verbum donata est.

[91] Solebat venerabilis Pater tam crebro, ac distincte cujusdam viri gravis occulta cordis arcana manifestare, [& occulta alterius peccata manifestat.] ut ille non semel ab ejus colloquio & occursu fugeret, ne latentes conscientiæ reatus sibi declararet. Inter alia autem quadam die cum tentationis violentia superatus, impuram mulierem conveniret, occurrit eunti Franciscus, & acribus verbis (quam patraturus erat) turpitudinem exprobravit, quidquid animo volvebat aperuit; nomen meretricis indicavit, de periculosa ejusdem infirmitate admonuit, & (quod optimum est) hominem a præcipitio peccati aversum ad contritionem & culpæ horrorem adduxit.

[92] Maria Magdalena a Salinis secretum, quod de habitu Sanctæ Claræ induendo propositum duobus tantum confidenter manifestaverat, [Propositum puellæ de amplectenda religione] ad conventum S. Francisci pro confessione accedens, a Viro Dei Francisco penetratum obstupuit: hic enim in confessionarium missus, statim alacri vultu eam prævenit: Fauste, inquiens, veneris sponsa Christi; gavisi sunt angeli de proposito tuo, esto patiens & constans; quoniam multæ exsurgent parentum in professione contradictiones, sed deficient omnes, & bene tibi cuncta succedent. Detectum cordis arcanum virgo admirans, cum postea monasterium ingressa, quas Vir Dei prædixerat procellas, & felicem earum exitum vidit, ipsum prophetica illustrari notitia non dubitavit.

[93] Frater Ildephonsus laicus dum Viro Dei in ultima ejus ægritudine ministraret, [& arcanam Minoritæ cogitationem aperit.] ipsius vultum aridum & macilentum aliquando intuitus, ejusque eminentem recogitans sanctitatem, secum agitare cœpit: Vere hic est imago perfectissima S. P. N. Francisci. Tunc Vir humilis, & illustratus, spiritu interno secretum fratris edoctus, ait: Roga Deum frater, ut a te hanc cogitationem omnino avertat.

[94] Ambulanti per conventus Limensis claustrum Petro de Andasalazar obvium se præbuit Religiosus quidam incognitus, [Viro cuidam loca, in quibus peccaverat, indicat,] qui ait: " Scias, domine, quod Deus suis tecum usus est misericordiis, cum te tam diu ad pœnitentiam exspectaverit. Recordare culparum, quas in Gallia, Castella, Lusitania & alibi perpetrasti". Obstupuit homo ad hæc verba, & ad distinctam locorum (in quibus fuerat) designationem: quis tamen ea fuisset locutus, ignorabat; donec sparso rumore de sancti cujusdam Viri transitu, ad videndum eum perrexit; quem ut intuitus fuit, inquit: Iste

est, qui mihi conscientiæ statum revelavit; nomenque sciscitatus, patrem Solanum vocari accepit.

[95] Eodem spiritus lumine properantem ad singulare certamen Joannem Deniam Bolañum prospiciens, [& singularis certaminis propositum,] ad pacem cum adversario reduxit. Sic & Joannum Luzerum de Savedra, forte in ecclesiam conventus Limani ingressum, Vir Dei, ex improviso comparens ad concordiam cum quodam milite (contra quem pugnaturus ibat) ineundam, & ad deponendum ultionis appetitum, distinctis ac fervidis verbis est adhortatus.

[96] [ac meditatam alterius vindictam videt atque impedit.] Occasione injuriæ cujusdam commotus Franciscus Ildephonsus de Caravajal, alteri vitam eripere decrevit. Cumque propterea opportunitatem quæreret, forte conventum S. Francisci ingredi debuit. Cum statim Franciscus verbo plane & ore ignotus occurrit, ac voce benigna rogavit, ut sibi eleemosynam largiri dignaretur: Et interroganti, quid peteret? respondit illi Dei Servus: "Ut perversam (quam formaverat cogitationem) omnino repelleret, facturus inde Deo gratum obsequium, & ipsi largum beneficium; ac se etiam scuto patientiæ, quo præsertim indigebat, armaret." Audita tam lucida secreti sui declaratione, homo se Patris orationibus commendavit, & confusus revertens illum, quamquam sibi incognitum, Virum sanctum & Deo charum esse præsumpsit; cujus verbo cor latens apertum, correctione prompta sanatum, & in melius senserat immutatum. Erat tandem Viri Dei obtutus in perscrutandis cordium arcanis ita perspicuus, ut multi secretorum suorum revelationem timentes, aut aliquando ipsius occursum declinarent, aut in principio sermonis occultas cogitationes ultro patefacerent. Quam quidem divinæ largitatis gratiam quantum in proximi bonum insumpserit, relata jam argumenta probarunt.

[97] [Precibus suis ægro sanitatem obtinet,] Animas Limani populi prædicationis verbo, & prophetiæ lumine curabat Vir sanctus; corpora vero orationis & meritorum efficacia a mortis faucibus, & periculis eripiebat. Doctor enim Joannes Velasquez, ecclesiæ Limanæ archidiaconus, gravi oppressus ægritudine, ad [se] virum Dei Franciscum vocari jussit; quo (manibus capiti ipsius impositis) Euangelium recitante, illico dolorem mitigari & minui sensit, ac perfectæ sanitatis spem certam concepit, quam & absque ullo alio remedio est assecutus.

[98] [aliosque ab angina] Anginæ dolore laborans, & in vitæ discrimen deducta domina Mayor ab Alarcon, P. Didacum a Pineda guardianum rogavit, ut sibi aliquam sancti patris Solani adhuc viventis chordam mitteret: qua quidem accepta, hora vespertina quarta se præcinxit. Die vero sequenti ulcus pestilens, fœtidam & maleolentem saniem per ipsum os infirmantis emisit, admirante medico, & casum repentinum miraculo adscribente.

[99] [letali febri,] Cum Michaël a Belilla bibliopola letalis febris violentia ad ultimum vitæ terminum pervenisse videretur, susceptis (ex medicorum de salute ejus desperantium consilio) Sacramentis, vocantur Religiosi, qui ipsum in agone positum adjuvarent. Mittitur P. Franciscus Solanus, qui cum alio Societatis Jesu patre preces animæ transmigrantis commendatitias de more recitavit. Interim advenit medicus, nomine Raymundus: cum hora esset post meridiem septima, ægrotum certissime juxta regulas artis intra quatuor horas (idest circa mediam noctem) moriturum affirmavit. At vero servus Dei Franciscus ad infirmum accedens, & prolato super eum Euangelio, ad socium conversus, ait: Redeamus ad conventum: plus enim ibi, quam hic agemus. Exspectatur itaque transitus moribundi, cum ecce ea, qua medicus animam exituram prædixerat, hora repente infirmus ab omni ægritudine liber, cunctis mirantibus,

sanus apparuit, & intra duos aut tres dies e domo egressus ad suam rediit officinam. Cum ibi præfatus medicus eum vidisset obstupefactus, & putans phantasma videre, se cruce signavit; ille autem repentinam sanitatem meritis & orationibus sancti patris Solani adscribere haudquaquam dubitavit.

[100] Didacus de Astorga copiosum ab ore sanguinem per triduum emiserat, [& hæmorrhœa liberat.] & tria vasa non parva illo humore repleverat. Cum vero a viro Dei Francisco confessario suo aquæ puræ & nitidæ poculum sibi porrectum hausisset, illico sanguinem firmatum, & ægritudinem omnino abscessisse sensit. Multa alia a venerabili Servo Dei accepta beneficia referuntur, quibus totam illam civitatem perpetuæ gratitudinis vinculo sibi devinxit.

## CAPUT IX.
## Viva ipsius fides, firma spes, & ardens caritas erga Deum.

Quasi rivus a fonte, lumen a sole, effectus a causa, sic externi hominum actus ab interno prodeunt principio, [Fuit in S. Francisco Solano] & quasi fructus arboris, quales sunt interiores affectus, tales prodeunt extrinsecæ operationes. Hinc est, quod perfectionis magister Christus ex fructibus eorum docet homines cognoscendos. Cum ergo ex præcedentibus mirabiles apparuerint Francisci nostri Solani operationis externæ proventus, non incongruum est, eas, quibus coram Deo & apud homines se commendabilem reddebat, virtutes enumerare.

[102] Fides, sine qua placere Deo nemo potest, [viva] & in cujus soliditate, tamquam in basi, totius spiritualis ædificii fundamentum subsistit, adeo virum Dei Franciscum invaserat; ut veritatibus Catholicis firmum & indubitatum in omnibus præberet asiensum. Erat in eo

non speculativa solum illa & otiosa fides languens & quasi mortua; sed viva, practica, & operativa, qua quisquis exercet operando quod credit: hinc ortum est seminandi Euangelii ac propagandæ fidei desiderium, quo se ad barbaricas Africæ terras mitti a Superioribus petiit; cumque optatum hac in parte finem assequi non posset, Deo aliter disponente ad Peruana regna pertransiit, & desertas illas & incultas regiones in fame, siti, frigore, ac nuditate peragravit, & palmam martyrii tanto avidius assequi concupivit, quanto ab avaro divitiæ, & sensuali corde voluptates optantur.

[103] [fides,] Mysteria sacratissimæ Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, aliaque suprema fidei nostræ capita quam firmiter crediderit, tot affectus, suspiria, ecstases, & cordis deliquia, quæ in eorum simplici lectione, vel auditione patiebatur, aperte testantur. Erat præterea in Viro Dei fides illa gratis data, quæ de liberali manu Dei procedens hominem in adversis & periculis tutum, in proximi necessitatibus thaumaturgum reddit. Hinc est, quod in tot angustiis, peregrinationibus, naufragiis semper quietus imperturbatus apparens, divinam adesse periclitantibus opem, nec in ærumnis desperandum alios commonebat.

[104] [spes firma,] Spes autem theologica in Dei Servo peculiarem sibi elegerat mansionem: per hanc enim inclinavit cor suum ad faciendas justificationes Dei in æternum; per hanc omnis affectus temporalis nexu soluto, totus ad cælestem aspirabat felicitatem, ex benignissima Dei promissione reddendam. Cupiebat namque dissolvi, & ad patriam illam pervenire, in qua spei nostræ objectum clara visione prospectum in perennem traditur fruitionem: oriebantur ex illa spe, tamquam ex fonte, rerum humanarum contemptus, cælestium amor, paradisi ardens desiderium, ac gloriæ tam efficax appetitus, ut ad solum illius nomen, totus in jubila & ecstases solveretur.

[105] [& ardens caritas;] Charitas, virtutum forma, virum Dei Franciscum adeo sui juris effecerat, ut velut ferrum ignitum ejus incendio totaliter fuerit penetratus: ex illius namque fornace crebra illa & anxia trahebat suspiria, quibus se totum in summi boni dilectione liquefactum ostendebat; recogitabat frequenter divinas illas Beatorum mansiones, & in earum assecutione totus accensus suum prolongari incolatum dolebat. Inde etiam oriebatur tantus cælestium amor, ut cum aliquando a quodam ægroto statum valetudinis ejus quæsivisset, respondente illo; gloria Deo, quia melius habeo: ut audivit hanc divinæ gloriæ vocem, invisibili amoris sagitta percussus duos ibidem repertos baculos apprehendit, ac uno alterum percutiendo suavem de Christo, & ejus amore edidit cantilenam; sicque totus extra se raptus, & in Deum suspensus e loco illo festinanter exivit, sane ut liberiorem interno raptui aditum daret.

[106] [unde præ amoris æstu sæpe in ecstasin,] Eum aliquando infirmantem quidam Religiosus invisit, ac de cæli gloria, & paradisi felicitate est allocutus; ad cujus verba adeo in Viro Dei flamma amoris exarsit, ac tantum beatæ fruitionis desiderium accrevit, ut totus exhilaratus raptum sit mirabilem passus, ut manibus extensis & elevatis, ore aperto, oculis in cælum defixis, auribus ad voces Religiosi omnino surdis, totum in cælestis dulcedinis oceanum se contestaretur immersum.

[107] [aut similem mentis excessum rapiebatur,] Quodam sanctissimæ Trinitatis festo, paucisque diebus antequam mortis debitum solveret, cum in valetudinarii oratorio sacrosanctum Eucharistiæ cibum sumpsisset, ac dum tremendo Sacrificio adesset, auditis his verbis ex Missa; Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu: quamquam debilis & infirmitate consumptus, tamen in claustrum exivit, ac festino passu, quasi volatu, progrediens exclamabat; Benedicamus Patrem, & Filium,

& Spiritum sanctum; hocque repetens non sine magna audientium admiratione monasterium circuivit. Alias etiam ex cellula egressus hæc verba affectuose proferebat: Servemus fidem & legem Jesu Christi; ac brachiis in modum crucis extensis, oculis in altum erectis & in lacrymas solutis terribili voce repetebat: "Patres, servemus legem Dei, & regulam, quam professi sumus; faxit Deus, ut ego numquam sacra ipsius præcepta infringam".

[108] Quoties autem de Deo, aut ejus amore coram Viro Dei sermo instituebatur, [totus inflammabatur,] prorumpebat in lætitiam cordis; & ut ignem sacræ dilectionis eventilaret, ab aliis secedens, solus in angulum coram cruce, aut devota imagine, quasi hostia flammis cælestibus comburenda, properabat. Illo etiam charitatis igne accensus sæpe procedebat in publicum, & occurrentibus turbis Dei commendabat amorem; o quam suavis est Deus, quam amabilis, quanta dignus dilectione, contestans. Et si quando Religiosum aliquem peculiaris in Deum amoris dono conspicuum, & honoris divini promovendi avidum agnoscebat, illum audiens sic aiebat: "Videamus, quis de duobus sponsum animarum nostrarum Christum ferventius diligat, & in signum majoris dilectionis hebdomada ista contendamus, quis plura isti præstabit obsequia, & gloriam ipsius sanctissimæ Matris diligentius procurabit".

[109] Ex ipsis etiam sensibilibus rebus, unde se ad divinum excitaret amorem, [& a creaturis ad Creatorem ascendebat.] urgentes & efficaces deducebat rationes contuens in operibus creatis Factorem ipsum, & ex creaturarum inanimatarum effectibus, animæ suæ motus regulabat. Unde cum ollam succensam & ebullientem quadam die vidisset, ab astante Religioso causam ebullitionis sciscitatus est, eoque illam igni materiali (ut par est) adscribente, erectis in altum oculis adjecit Vir

sanctus: “Heu quid prohibet, quo minus & nos igne charitatis ardeamus, & anima nostra quasi olla succensa flammis ebulliat?” Et his dictis sentiens impetum, quem optabat, in longam ecstasim suspensus hæsit. Illius etiam intensissimæ charitatis effectus sunt ea, quæ pro Deo passus est incommoda, quæ suscepit pericula, quæ concupivit martyria, quæ prædicavit, quæ egit, quæ pertulit, ejus & efficacissima indicia sunt; oratio continua, altissima contemplatio, ac reliquæ tandem virtutes, quibus ejus animam fuisse decoratam, quæ sequuntur, capita demonstrabunt.

## CAPUT X.
## Devotio ejus erga sacra Christi mysteria, sanctissimam Eucharistiam, virginem Deiparam & sanctum Bonaventuram.

[Erga sanctissimam Trinitatem, Christi nativitatem] Præter eximiam erga sacratissimæ Trinitatis mysterium devotionem, quam laudibus, obsequiis & canticis testabatur, inerat præterea viro Dei Francisco ardens quædam & tenera ad sacram Christi Nativitatem propensio, & beatissimam illam noctem, in qua Verbum carne indutum humanas assumpsit miserias, speciali cultu & religione celebrabat: hanc quippe ineffabilem æterni Filii dignationem mente revolvens, totus in jubila solvebatur, & aptas tantæ solennitati cantiones voce & exiguæ lyræ sonitu decantabat. Dum in provincia Tucumani semen euangelicum spargeret, aliquando totam illam sanctissimam noctem orans, lachrymans, & Deum collaudans traduxit. Alias, recurrente eadem nocte, gaudio impar per conventum Recollectionis Limensem charitate ebrius, & amore saucius discurrit, ac campanulam movendo canens atque psallens, fratres omnes ad admirationem ac devotionem provocavit.

[111] [& infantiam,] Sacram autem Christi infantiam tam pio & tenero recolebat affectu, ut eam nec cogitare, nec voce proferre, aut in imagine contemplari absque cordis & corporis immutatione valeret. Infantem sibi Salvatorem ante oculos mentis objiciens, ei pastorum simplicem, puramque reverentiam, & solennem magorum exhibebat adorationem; nec a se solo laudari & benedici contentus, socium ad eadem jubilationis, cantus & amoris officia secum alternatim rependenda invitabat.

[112] [Passionem] Pretiosissimam Christi Passionem & crucem quantum Vir Dei dilexerit, effectus non pauci testantur. Hanc enim continua meditatione tractabat, in prædicationibus extollebat, ad eam imitandam & ferendam populos hortabatur. Crucifixum quasi inseparabilem suæ defensionis murum, quocumque pergeret, semper gestabat. Uno verbo, Jesu Christi mortificationem ac tormenta jugiter tulit in corpore suo, & aliorum mentibus ea imprimenda indefesse curavit. Cumque in Missa Passionis historiam quadam vice legeret, observatus est a Religioso ministro in amaros & copiosos lacrymarum rivos resolvi.

[113] [atque Euchæristiam devotissimus] Ad memoriale Passionis, seu augustissimum Eucharistiæ sacramentum toto viscerum ardore ferebatur; in eo suæ fortitudinis arcem collocarat, in ejus contemplatione totam suæ conversationis dulcedinem, & præsentis vitæ consolationem posuerat. Sacerdos factus se ad tanti Sacrificii celebrationem vigiliis, abstinentiis, flagellis & orationibus disponebat. Missam dum celebraret, affectu mentis suavissimo reclusa in ejus cæremoniis & ritu mysteria ruminabat, ac tanta videbatur celebrantis devotio, ut & multos audientes attraheret, & plures certatim ministros ad sibi serviendum induceret. Ipsemet excellentissimus Peruani regni prorex Ludovicus de Velasco, marchio Salinarum, frequenter ad conventum

Recollectionis accedens, e privato tanti Sacerdotis sacrificio, cui devote ministrabat, magnam percipiebat suavitatem.

[114] Sæpe ad altare progressus, ac se vestimentis illis mysticis, [singulari pietate Missam celebrat] quibus mortalis & miser homo, Verbi incarnati sacerdotis simul & hostiæ repræsentat figuram, sese indutum attendens, in illius ineffabilis dignationis consideratione deficiebat, ac in laudes Christi & beatissimæ Virginis (quæ tantum edidit cibum) prorumpebat. Aliquando visus est, dum Sacrificium perageret, in ecstasim rapi, & in aëra sursum attolli; alias dum ad altare, S. Antonio dicatum, Missam celebraturus accederet, apparuit coram eo lux quædam cælestis, solis claritati non inferior, qua velut manuductus dicere poterat cum Psalmista Psal. 118: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.

[115] Solebat expleto Sacrificii tremendi mysterio, [& aliquoties in ecstasin rapitur,] ac sacris vestimentis exutus, exhibitaque gratiarum actione illico se in cellam recipere, & clauso ostio de Regis cælestis præsentia exhilaratus, munera tanto hospite digna laudis & reverentiæ promebat: ibi fruebatur dilecto, & in illius suavissima conversatione prævias paradisi degustabat delicias. Dum aliquando sic solus, & in cellula reclusus, dulcia cum Christo misceret colloquia, ad ostiolum quidam frater pulsavit; sed abstracta a sensibus Viri Dei mens duplicatos non audivit impulsus. Tunc alter obedientiæ vim experiri volens, a Superiore vocatum alta voce significavit. Ad hunc repente sonum Franciscus e somno spirituali expergefactus januam aperiens, accenso & inflammato vultu, genis & ipsomet caputio lacrymarum imbre madefactis se vocanti videndum exhibuit; agnito vero Superioris mandato, illico ad ejus, qui factus est obediens usque ad mortem, imitationem, ut obedientiam impleret, alacri facie ad cellam Prælati perrexit.

[116] Alias dum sic post Sacrificium vivificum in cella solus oraret, [ac miro splendore circumfunditur.] repetitis a quodam fratre ad cellulæ januam ictibus excitatus Vir Dei pulsanti apparuit, & voce benigna ait: Deus tibi parcat. Visus est autem tam splendentes luminis radios ex vultu emittere, ut ejusdem fratris, & alterius præsentis oculorum aciem perstrinxerit: ac mentes ipsorum tanta reverentia & admiratione replevit, ut se gravis delicti reum, qui sic importune pulsando eum a tam ineffabili colloquio averterat, existimaret. Quot autem in privatis illis cum divino amore congressibus gratias, illustrationes, & beneficia amicus Christi Franciscus perceperit, nemini (quia vere humilis) manifestavit.

[117] Erat ille in Eucharistiæ venerabile sacramentum Servi Dei affectus & amor quasi proles legitima veræ & sinceræ fidei, [Veneratio ejus erga Eucharistiam,] qua Christum sub speciebus panis & vini latitantem ita præsentem, ita venerandum, amore dignum & adoratione reputabat, quasi eum in medio angelorum senatu regnantem, & in empyreo ad dexteram Patris sedentem vidisset: unde cum divinæ illius præsentiæ assisteret, gaudio inexcogitabili & admiratione replebatur, ac totus in supremi ac tanti mysterii seria contemplatione absorptus, in suavi lyræ sono dulces edebat concentus. Cum officio Custodis in provincia Tucumani fungeretur, recurrente Corporis Christi festivitate, solito ejusdem in publica fidelium processione triumpho adfuit; cum autem fidei oculo Regem gloriæ præsentem conspiceret, subito voce elata dulces cantus effudit tanta amoris violentia, ut in medios Indorum cœtus Davidem coram arca canentem & saltantem imitaretur: quo spectaculo commoti omnes, lacrymis præ teneritudine obortis devotionem auxerunt veneratione.

[118] [& illius ministros.] Profunde quidem ac devote de omnibus Christianæ religionis mysteriis loquebatur, sed

præsertim de sacratissima Eucharistia tam alta, tam sapida & profunda eructabat, ut gratiæ divinæ thesauros in se reconditos, & secreta cælestia sibi tradita fuisse manifestaret. Ex illa vivifici Sacramenti devotione oriebatur inseparabilis a devoto & fideli corde vera & humilis ad sacros ministros & sacerdotes; sed præcipue ad summum & maximum sacerdotem & Pontificem, Christi vicarium, ac Petri successorem reverentia & affectus. Dolebat insuper, tantum mysterium indigne tractari, & de Christianorum, dum Missæ tremendis assistunt sacrificiis, indevota compositione, ac profanis coram altaribus & in ecclesia colloquiis; quibus persæpe magis fidelium templa, quam gentium delubra inhonorantur, gravem concipiebat mærorem.

[119] [Maxime addictus cultui B. Virginis Mariæ] Prædestinatorum & Sanctorum specialis propensio est devotio Mariæ: hanc vere prædestinatus & sanctus vir Dei Solanus toto mentis prosequebatur ardore; ad hujus obsequium intentissima cordis reverentia ferebatur. Illam sibi peculiarem advocatam & dominam elegerat, cujus gloriam, honorem, & cultum in se & in aliis promovere satagebat; sæpe revolvens animo quam animantibus * fuerit a Deo dotata privilegiis, ac infinitos fere magnitudinis & perfectionis gradus, quibus reliquas superat creaturas, attendens, aiebat: "Gratulor tibi, o sanctissima Virgo simul & Mater, & gaudeo quod te tam pulchram, tam sanctam & puram divina manus effecerit". Aliis etiam ignitæ linguæ præconiis dilectæ cordis sui patronæ laudes promebat, ac in devotissimo cantu ad ecstasim usque & raptum ipsius merita personabat. Hujus autem singularis affectus, quem a teneris annis ad mortem usque semper augendo perduxit, quædam suppetunt non incongrue referenda exempla.

[120] [celebrando ejus præconia,] Cum in conventu civitatis Truxilli moraretur, ecclesiam oraturus adibat, &

aliquando patri Hieronymo Ildephonso a Turre sibi occurrenti dixit: "Vado ad musicos modulandos accentus coram pulcherrima Virgine, quæ me exspectat". Ille autem, ut quid facturus esset Vir Dei certo ac secreto deprehenderet, in angulo latitare solitus sæpe ipsum coram altari, & sacra Virginis Mariæ imagine positum vidit, ac lyræ suæ chordulas pulsantem tanta suavitate repletum & gaudio, ut in saltus miros & commotiones prorumperet, ac tandem genibus flexis quietum, & in oratione perseverantem observaverit.

[121] Pater Joannes Annas Solanus, Ordinis Prædicatorum in provincia Peruana procurator generalis, [& colloquio fruendo delectatur,] virum Dei Franciscum in conventu Recollectionis Limarum aliquando invisens, ipsi suadere tentavit; ut ad mentem a continuis laboribus & pœnitentiis vel leviter recreandam, per breve aliquod spatium ad civitatem exiret. Statim autem a Servo Dei responsum accepit: "Hoc in monasterio meæ sunt recreationes & solatia, quoniam mihi datum est frequens inire colloquium ac suavem ducere conversationem cum domina quadam, in qua levamen pœnarum, & cordis perfectam reperio lætitiam". Mox amicum Prædicatorem manu apprehensum ad ecclesiam traxit, ac positis ab utroque coram altari majori genibus, Franciscus detracto, quo operiebatur, velo, sacram angelorum Reginæ imaginem detexit, subjungens: "Ista est domina animæ meæ deprædatrix, cui communico, cui meas dirigo voces; & cum qua suave commercium duco". Ad hæc lacrymarum copiam effundens, ad piam imaginem tam suaves, teneros ac affectuosos dirigebat sermones, ut assistentem sibi Religiosum admiratione mira repleverit & devotione.

[122] Viro Dei in eodem Recollectionis conventu morante, [ac virum tristitiæ deditum] cum in vigilia Assumptionis religiosa communitas gratias post prandium ante

Sacramentum solutura venisset; ecce quod subito amoris impetu, ac tantæ Virginis ad cælum exaltatione commotus, in mediam altaris majoris capellam exsiliens, oculis ad cælum erectis psallere cœpit & canere: mox positis genibus, in concinendis Mariæ laudum devotis canticis, non sine intuentium admiratione perseveravit. Aderat tunc P. Joannes a Navarreta, vir omnium virtutum genere illustris; sed in primis tantæ pœnitentiæ, compunctionis, & sanctæ tristitiæ exercitio clarus, ut per multos annos numquam ridere, aut faciem hilarem ferre sit visus; sed semper ita doloribus Christi patientis intra se ruminandis attentus, ut ob copiosas compassionis, quas fundebat, lacrymas, Jeremias novus fuerit appellatus.

[123] Hic ergo cum recollectum Minoritam magis decere planctum, quam gaudium putaret, [ad hilariter canendas illiu laudes inducit,] subitam illam Francisci nostri lætitiam non approbans, eum aliquo modo reprehendit: sed, o res mira! illico vir Dei Solanus exsurgens, & in spiritus vehementis fervore ad patrem præfatum Joannem a Navarreta accedens, eum sic lacrymosum & mœstum paucis, sed efficacibus verbis ad laudes Virginis celebrandas & concinendas ita provocavit; ut intrinsecus operantis Dei invisibili manu mutatus, statim lætitia spirituali repletus sit, & qui prius mœrorem prætulerat jucunditati, in cantus jubilationis proruperit, alternatisque vocibus certatim cum servo Mariæ Solano triumphantis in cælo Reginæ gloriam decantaverit.

[124] Erant Mariæ laudes Viro Dei laboranti requies, [quo exercitio labores suos mitigabat] afflicto solatium, & lasso refrigerium: in magnis enim & asperis pro Deo susceptis peregrinationibus fatigatus ex itinere, exhaustus labore, fame consumptus, siti aridus, calore exustus, frigore exanimatus, Mariæ nomen recogitabat, ac in ipsius suavissimis laudibus oblitus pœnarum, cælestem

percipiebat dulcedinem. Hanc tandem erga piissimam Dei Genitricem teneram devotionem & constantem fiduciam, quam in vita tenuerat, in agone positus consecravit: * nam cum extremus adesset vitæ terminus, sacrum Magnificat canticum, & hymnos Virgini ab Ecclesia dicatos coram se recitari a fratribus adstantibus postulavit; quoniam ex eorum suavissimis verbis magnum doloris & morbi lenimentum percipiebat.

[125] [sicut & speciali devotione erga S. Bonaventuram.] Inter alios aulæ cælestis gloriosos cives, seraphicum Ecclesiæ doctorem Bonaventuram speciali devotione colebat, quem sibi potentem apud Christum advocatum & intercessorem elegerat. Solebat proinde, dum in conventu Limensi moraretur, in aulam seu scholam theologiæ secreto secedere, ibique coram devotissima ejusdem sancti Doctoris imagine longas orationum horas transigere, se flagellis ad copiosam usque sanguinis effusionem cædere; ibi apostolicum concipiebat & fovebat spiritum, quo plenus in plateas civitatis prædicaturus exibat; ibi seraphicam dilectionem illam, dulcemque & benignam, qua se cunctis amabilem reddebat, conversationem & longanimitatem a tanto sibi impetrari & communicari patrono merebatur. Ibi non semel visus est cælestibus quibusdam mirisque splendoribus circumquaque discurrentibus illustrari; quam grata vero sibi forent devoti sui Francisci obsequia S. Doctor ostendit, dum ipsum eadem sui obitus die ex hac vita migrare, a divina consecutus est bonitate.

## ANNOTATA.

Sanctus Bonaventura obiit 15 Julii, ut ostensum est in Commentario prævio ad ejus Acta, adeoque hic fallitur scriptor Vitæ, nisi forte dicere voluerit, eum sancti Doctoris festo obiisse, uti postea indicat.

# CAPUT XI.
## Fervens illius oratio, profunda rerum cælestium contemplatio, ecstases & raptus.

**[Rerum cælestium contemplationi deditus] Orationis & contemplationis donum servo suo Francisco Deus tam liberali profusione concessit, ut omnes ipsius gradus, effectus ac prærogativas, quantum mortalis infirmitas patitur, attigisse comperiatur. Quoniam vero (divina tamen præveniente gratia) ad hanc sublimitatem per aliquam cooperationem se homo disponit, ideo quid in hoc exercitio egerit Franciscus, quidve cooperando contulerit; deinde quid Patris cælestis benigna largitate sit assecutus, est aperiendum. Animam, quæ arcanæ contemplationis mortem contingere, & ad supremum unionis culmen pervenire cupit, creaturas fugere, sensuum fenestras claudere, sibi interius vacare oportet. Præsentiæ divinæ familiarem habeat considerationem, horas mentali exercitio non paucas assignet; uno verbo carnem, mundumque despiciens, se totam Spiritus sancti voluntati motibusque subjiciat.**

**[127] Hoc, præveniente & adjuvante Patre luminum, [sublimem orationis] potest homo mortalis; hoc & Franciscus Solanus divino fretus adjutorio præmisit: erat enim illius conversatio cælestis, & quantumvis inter humanas solicitudines, adeo tamen familiarem sibi orationis internæ consuetudinem fecerat, ut ab ea nullo vel dierum, vel noctium intervallo cessare videretur. Interiorem ipsius animæ pacem, nulla cura, nulla molestia turbabat, & seraphici Patris doctrinam edoctus animam in corpore, quasi eremitam in cella quietam & solitariam, tenebat. Ex illo sacræ orationis amore effluebat quasi rivus a fonte seculi fuga, & solitudinis desiderium: non enim nisi obedientia jubente, vel charitate suadente prodibat in publicum; tuncque, ne amicam perturbaret**

contemplationem, ex occurrentium materialium specierum intuitu ad divinæ pulchritudinis consurgebat effigiem, & per impressa creaturis vestigia ad infinitam Creatoris pulchritudinem deveniebat.

[128] Solebat præterea Vir Dei determinatas sacris orationibus horas destinare: [gradum attigit,] sæpe namque dum in conventu S. Francisci Limæ habitaret, visus est hora noctis undecima (illa nempe, quæ mediam noctem præcedit) usque ad quartam matutinalem sanctæ contemplationis exercitium in choro protrahere. Nulla umquam ipsum infirmitas, nulla occupatio, aut labor a persolvendis orationum temporibus avocavit; sæpe noctes integras insomnis, diesque perpetuo jejunus in suavi cælestium consideratione transegit, & ut R. P. Alvarez de Paz a tom. 2, lib. 5, cap. 13, de Viro Dei loquens ait: "Diligebat secretum, ac secum commorari, nisi gloria Dei aliud deposceret, rebus omnibus præponebat; ibique assiduis precibus & divinorum contemplationi vacans, non raro ecstases & raptus patiebatur: hisque epulis assuetus sæpe noctes insomnes in suppedaneo summi altaris apud Dominum, in Eucharistia absconditum, traducebat, & manu lyram parvulam pulsans, & ore psalmos canens, ac corde cælestia delibans pernoctabat".

[129] Cum ergo vir Dei Franciscus aquas in vitam æternam salientes (quæ sitientibus in oratione conceduntur) animo tam ardenti sitiret, [& in rerum divinarum meditatione] non mirum si Deus, qui non improperat, eas ipsi dederit affluenter, ac ipsum orationis perfectissimæ dono effecerit admirandum, ut ex sequentibus patet. In primis namque continuam Servi sui in rebus cælestibus attentionem, ecstasibus illis frequentibus, quas animæ totaliter a terrenis avulsæ experiri solent, decoravit. Videbatur enim Vir Dei, dum superna contemplaretur, terrestrem reliquisse mansionem, &, corporeæ molis nexu dissoluto, animam ad

sidera transmisisse. Vocantibus quippe tunc surdus, occurrentibus cæcus, interrogantibus mutus, & a sensibilium imaginibus objectorum abstractus contemplationis dulcedinem copiose degustabat, & teneritudinis abundantia perfusus liquefieri putabatur.

[130] [ecstases,] Quadam die dum columnæ claustri Limani innixus in seraphici patris nostri Francisci devotam imaginem, altari cuidam ibidem appensam, oculos defixos teneret, transivit forte pius & gravis Religiosus, qui dum se a Viro Dei (juxta solitum) ut qui olim guardianus ejus fuisset, reflecteret, honore salutationis non præveniri, ipsum propius accedens vocavit, brachium apprehendit ac strinxit; ille tamen nec voci respondit, nec tactum sensit. Aliquando vero dum sic abstractus colloquio interesset divino, nec tamen penitus sensuum operatio vacaret, eidem vocanti pro responso ferebat: Glorificetur Deus, amemus Deum; & hæc in fervore spiritus repetens veloci extra se raptu exibat.

[131] [raptus] Est & aliud raptuum genus, quo non solum animalibus spiritibus aditum, ne in sensus transfundantur, fervens cælestium attentio præcludit; sed & ipsa anima objecti, sibi in summa amabilitate ostensi, desiderio abstracta, ipsum (cui annectitur) corpus secum adducit, & gravem carnalis ponderis molem superans, spiritus ad Deum quasi ignis per accensos potentiarum motus ascendens materialem in aëra secum transfert compartem, hoc est liberalissimi Dei donum, quo servi sui Francisci Solani præmiavit obsequia: sæpe enim in aëra elevatus, spatia non parva miro volatu transcurrebat.

[132] [aliosque hujusmodi favores] Semel in vigilia solennis indulgentiæ Portiunculæ post exceptas plurium pœnitentium confessiones, cum in infimo ex duodecim gradibus, quibus ad altare majus monasterii Limani ascenditur, coram sanctissimo Sacramento oraturus

genua posuisset; repente a Patre Claudio Ramirez de Sosa, ejusdem Ordinis religioso, & conventus de Caxamalca guardiano, visus est in summo præfati altaris culmine abstractus & in ecstasim raptus, moxque eodem situ & genuflexus ad locum, unde exierat, per aëra revertisse. Dum Limæ in conventu Recollectionis moraretur, aliquando contemplationis impetu tractus, a choro superiori usque ad majus altare per centum pedum distantiam in aëre elevatus pervenit, ibique seriæ orationi vacare repertus est; sic & dum Truxilli inhabitaret cœnobium, aliquoties a solo semi-ulnæ mensura, spiritus fervore elatum apparuisse, fama civitatis indubitata promulgavit.

[133] [a Deo obtinuit.] Cum semel in conventus Limani valetudinario Vir Dei multum infirmus jaceret, frater Ildephonsus Muñoz, exemplaris vitæ Religiosus commissarii generalis socius, ad ejus cubiculum ipsum invisurus accessit; cumque eum coram sacra Virginis imagine genuflexum orantem invenisset, ad socii cellulam redivit. Vix eam ingressus repentinum in sancti Patris cella strepitum, quasi e tormento bellico prodeuntem, audivit, ad quem subito præfati commissarii jussu causam exploraturus accurrens, ecstaticum Dei Servum e cellula egredientem ultra semi-ulnam a terra elevatum, & hinc inde Spiritu sancto, ne in parietes & in claustri fornices impingeret ducente, volantem extensis in crucis figuram brachiis, oculis ad cælum erectis, aspexit, ac voce magna pias Scripturæ sententias proferentem audivit; donec tandem Indo Tertiario, forte occurrenti, amplexu tenaci adhærens, ab ecstasi reversus tantam postea virium debilitatem sensit, ut a præfatis Ildephonso & Tertiario inter manus languens, atque deficiens fuerit in grabatum delatus.

[134] Spiritualis lætitiæ fœtus in oratione concepti, [Sed inter hos teneros affectus,] sancti scilicet animæ

exultantis clamores & voces, aut ab admiratione, aut a dilectione depromptæ, quibus humana mens impressos sibi a Deo pandit affectus, in nostro Francisco Solano maxime claruerunt. Hic enim, dum contemplationis lumine illustratus aut divinam intuebatur perfectionem, aut suæ nihileitatis aspiciebat miseriam, exclamare audiebatur: Quis es tu Deus meus, & quis sum ego; tu totum, ego nihil? Interdum vero aiebat: Mi Jesu, misericordia! Aliquando coram pretioso Eucharistiæ sacramento brachia in crucis figuram expandens, alta voce dicere auditus est, Heu Domine, quis est qui te offendit; quis te, Deus meus, offendit? Moxque affixo in terram ore prostratus aliud orationis genus incepit.

[135] Illis autem clamorum & vocum excessibus inseparabiles erant rivuli lacrymarum, [dulces lacrymas] quarum a cælesti Largitore donum, ut compunctæ & efficacis orationis signum, acceperat: hanc namque fletuum abundantiam, seu ex cordis liquefactione, sive ex dolore manantem, solet Deus servis suis in contemplatione exercitatis largiri; nec enim deceret, ut, radiis veritatis clarescente intellectu, voluntas frigeret, & durior saxis scindi ad lacrymas doloris & compunctionis nollet. Lugebat proinde Franciscus Solanus amoris teneritudine emollitus, sed præsertim Dominicæ passionis recordatione compunctus; ita ut non raro oculi ejus præ fletuum vehementia tumescerent.

[136] Quoniam autem contemplativos Deus & pœnis immissis, [ac divinas consolationes,] & voluntariis eorum castigationibus exercet, eis sæpe suavitatem, ad quam gustandam Psaltes invitat, liberali manu concedit. Hanc profecto in oratione delibabat Franciscus, ubi consolationibus divinis abundans, totus in jubila solvebatur, quæ ne humanis oculis paterent, in secretum fugiebat. Illa etiam cælestis favoris dulcedo aba anima plerumque redundabat in corpus, quod splendore mirabili

coruscans, ex consortio sermonis Dei revertebatur, & oculos intuentium (ut supra dum charitate, & erga sacram Eucharistiam amore diximus) perstringebat, ac aliquando in aula theologiæ conventus Limani orans quibusdam supernæ lucis radiis circumdatus apparebat; interdum multi vultum ejus natura subnigrum, candidiori nivis colore dealbatum viderunt.

[137] Hujusmodi raptus, ecstases, lacrymæ, voces, [summam animi demissionem conservabat,] nisi humilitatis sanctæ pariant affectum, dubia Spiritus divini indicia sunt: hæc autem si adfuerit, cum eam superbiæ Pater nec parere possit, nec fovere, certissimum orationis e cælo edoctæ & divinitus inspiratæ argumentum est. Quare Franciscus noster Solanus, quem unctio Spiritus sancti docebat, illum præ ceteris fructum ab oratione trahebat: sæpe enim adeo propriæ infirmitatis notitia plenus ab eo prodibat, ac tam demissum de se ipso judicium hauriebat; ut se, qui terram calcaret, reputaret indignum, ac frequenter repeteret, magnæ sibi esse admirationi, quod tam gravem (qualis erat) peccatorem terra toleraret. Alium etiam infallibilem veræ contemplationis effectum, in proximi bonum Vir Dei ab ea retraxit: hinc enim emanavit lux illa cælestis, qua futuros eventus & abdita cordium secreta penetrabat. Magnam tandem ipsius orationis efficaciam fuisse, totius vitæ historia, & quæ infra sequentur, aperient; dum quod humanis viribus sibi, aliisque comparare non poterat, precum suarum virtute terra marique obtinuit.

[138] [& fratribus orationis studium commendabat.] Cum igitur servus Dei Franciscus tam sancti exercitii in se utilitatem experientia probasset, & ipsius omnimodam in perfectionis via ambulantibus necessitatem agnosceret, eam fratribus suis enixe commendabat, ac proinde, dum eos otiosis aliquando inter se confabulationibus videret intentos, temporis tam rari deperditionem dolebat; &

propterea etiam aliis præesse, ne tantæ jacturæ rationem Deo reddere teneretur, timebat. Dum conventus Recollectionis Limanæ guardianus esset, arbores ab horto eradicare cogitavit; ne Religiosi, earum culturæ nimis attenti, animæ curam oratione agendam negligerent: ac denique ulmos in civitatis ambulationem juxta præfatum Recollectionis cœnobium plantari ægre accepit; convenientis illuc ad recreationem populi strepitu ac rumore Religiosos in sancta orationis quiete turbandos prævidens. Ex illo tandem orationis fonte Vir Dei salubria hausit in dirigendis animabus consilia, efficacia in prædicationibus verba, & prudentia in prælationibus documenta atque discreta præcepta.

## ANNOTATA.

Per tertiarium hic intelligo laïcum, qui habitu ab aliis fratribus distincto indutus conventui servit, ut postea in Ordinem admittatur. Tales tertiarios Ordinis Minorum etiam interdum vidimus in nostro Belgio, & alibi vocantur donati. Plura de similibus, qui sese ministerio cœnobiorum offerunt, vide apud Cangium in Glossario ad vocem oblati.

## CAPUT XII.
## Summa ejus caritas erga proximum, prompta obedientia, religiosa paupertas, & angelica castitas.

Amoris Dei fœtus est amor proximi: hoc etiam Vir Dei Franciscus igne charitatis exarsit, [Caritas ejus] ut plura in superioribus capitulis relata testantur. Hanc enim erga homines ardentem dilectionem in Hispania, in navigatione, in provinciis Tucumani non paucis manifestavit indiciis; hanc & in Limanis partibus (ut ex

sequentibus patet) non dereliquit, sed per nova quotidie incrementa intendit. Omnibus proximi malis, plus quam propriis, tangebatur, prompta iis quærebat remedia, omnibus efficaciter succurrebat; spiritualia tamen aliorum damna, quia graviora, mentem ipsius acri dolore pungebant: unde orta est illa in prædicando, arguendo, & admonendo continua & indefessa solicitudo, quæ per totius vitæ curriculum in ipso mire eluxit.

[140] Pauperes affectu tenerrimo diligebat, humiliter & benigne cum ipsis agebat, [erga pauperes,] eleemosynas (quas comparare poterat) largiebatur, bonis & salutaribus consiliis eos informans & dirigens a malo avertebat, mortem famemque letalem potius perferendam, quam peccatum, Deique offensam perpetrandam, docebat. Præterea hanc dilectionem omnibus communem facere odia exstinguendo, inimicitias tollendo, ad pacem & amorem populos revocando diligenter curabat, & afflictos aut oppressos passionum Christi exemplo ad laborum tolerantiam hortabatur.

[141] In ægrotantium cura mirabilis erat: domus enim hospitales visitare, [ægros,] infirmorum lectos parare, vasa mundare, alimenta quædam dulcia subministrare, dolores officiis & exhortationibus lenire, confessionem peccatorum audire solitus, ardenti charitate cunctos complectebatur. Fratrum etiam ægrotantium numquam intermisit solicitudinem, quam, quia ex regulæ præcepto commendatam, orationis exercitio sibi aliunde tam charo præferebat. Itaque præter impensissima ministeria, quibus infirmis fratribus subveniebat, illos etiam, qua poterat, consolatione recreabat, & lyræ ac vocis suavissimo concentu laudes divinas, Matrisque Virginis hymnos decantans, eorum corda mira dulcedine afficiebat.

[142] Cum P. Joannes de Arpeytia, qui Provinciæ duodecim Apostolorum minister fuit, [mœstos,] Truxilli degeret, & nocte quadam importunis mœstisque cogitationibus perturbaretur; ecce quod hora noctis decima cellam ejus ingreditur Vir Dei, eumque præveniens, quid molesti pateretur, quœsivit; sibi quidquam accidisse neganti, ait: Omnia sua manifesta sunt, ego vero cantare scio; & hæc dicens lyram eduxit, quam pulsans coram sacratissimæ Virginis imagine, laudes ejus voce sonora decantavit. Finita musica, in silentio recessit, mœstumque Religiosum mira mentis lætitia perfusum, mœrore in gaudium mutato, reliquit.

[143] [agonizantes,] Similiter Annam Manrique, tertii Ordinis in Peruano regno primam reparatricem & abbatissam, febribus laborantem Dei Servus invisit; hæc vero intra se dicebat: Quid aliud cordis mei mœstitiam aptius quam patris Solani piissimus cantus leniret? mentis tamen desiderium pandere verebatur. Vir autem Dei, Spiritu sibi interius loquente, devotæ mulieris cogitationem edoctus, illico tam suaves in honorem recenter nati Christi infantuli cantus emisit, ut ægra mentis consolatione repleta, exinde perfectam corporis cœperit acquirere sanitatem. Dirigendis in agone infirmis, & ad mortis transitum præparandis specialem a Deo gratiam acceperat, ac proinde ad tantæ charitatis officium non modo currere, sed volare videbatur; & qui alias silentio deditissimus fuit, tunc quasi imbres eloquia sapientiæ mittebat; uno verbo tam alacriter ministrabat ægrotis, ut nullum umquam impatientiæ verbum, vel tristitiæ signum in eo fuerit deprehensum.

[144] [aliosque infirmos,] Cum Truxilli degeret, visus est nonnumquam a quadam muliere Ordini devota, plenis annona manicis e conventu prodire; cui aliquando, quo toties pergeret, sciscitanti respondit, se cujusdam sibi dilectæ domum adire. Quo responso mulier ad

curiositatem stimulata ipsum extra civitatem egressum, ad domum vetulæ cujusdam mulieris lecto detentæ, horribili lepra infectæ, a proximis & cognatis ob tetrum putredinis odorem omnino derelictæ, intrasse advertit; ubi in spiritus charitatis servore, genibus in terram positis horrenda infirmæ ulcera osculari, deinde stans ea curare, lavare, ac abstergere visus est: tandem commendata ipsi patientia, largitis (quæ tulerat) donis, ad xenodochium inde transire; ubi lectos componebat, &, quæ supra retulimus, ministeria spiritualia & corporalia ægrotantibus impendebat.

[145] [& misericordia erga animas purgatorii] Circa novissimos vitæ annos in conventus a Jesu Limensis valetudinario cellam sibi ob continuas ægritudines assignatam occupavit; ibi solebat quotidie bis fratres infirmos invisere, & viliora quæque officia ardenter & humiliter exercere. Hunc & charitatis affectum ad ipsas quoque purgatorii animas extendebat, quarum pœnis tenere compatiens, eas orationibus, pœnitentiis, suffragiisque ex illo carceris ergastulo liberare, & cælesti luci quam citius reddere satagebat; aliosque ad eadem pietatis officia frequentibus cloquiis invitabat.

[146] [ac benignitas] Fuit tandem Vir Dei tam suavi, tamque benigna & dulci natura a supremo decoratus Artifice, ut neminem a se nisi lætitia & gaudio perfusum, ac consolatum recedere pateretur, & cuicumque ipsum alloqui, aut peccata coram eo confessione promere contingebat, miram se experiri alacritatem, cordisque quietem profitebatur. Ipsa quoque animalia, quam olim in seraphico Parente innocentiam & benignitatem probaverant, in tam digno ipsius Filio reperiebant, unde non mirum, si feroces tauros mansuefecerit, si locustas, si cyniphes vocis imperio exterminaverit, ut superius visum est.

[147] Aves etiam, primitivæ, quam Adam peccando amiserat, [erga ipsa irrationalia animalia.] vestigia in eo innocentiæ præsentientes, familiares & domesticas se illi præbebant: sæpe enim visus est & auditus, dum in Truxilli conventu moraretur, inter aviculas conversari, easque ad Creatoris laudes cantu promendas hortari; illæ vero quasi rationis compotes, capiti ejus, humeris, brachiisque velut arborum ramis insidebant, cum ipso divina cantica vocis naturalis concentu personabant, oblatam sibi panis in frustula conscissi annonam e manu ejus familiari rostro carpebant, harum duas casu occisas testium fidelium relatio a Viro Dei, compassione permoto, vitæ restitutas affirmant. Infestantes conventus Limensis valetudinarium formicas ita solius voluntatis imperio abegit, ut deinceps nullam infirmis molestiam, nec eorum alimentis intulerint damnum. Eadem Viri sancti benignitate allecti pisces, in supradicto euntium ab Hispania ad Indias naufragio, ultro se capiendos in hominum cibum illi offerebant: cancros etiam ad ejus usque gurgustiolum ab aquis pergentes voce benigna excipiens, aiebat: Venite craturæ Dei, ut in escam fratrum vestrorum majorum sitis.

[148] Obedientia viri Dei Francisci Solani speculum est nitidissimum, [Obedientia impulsus] in quo suarum quisque Religiosus contemplari poterit exemplar actionum. Nihil enim Minoritæ isti magis cordi fuit, quam per semitas obedientiæ tutas & tritas curriculum suæ professionis implere. Nemo avidius ad dignitates & honores, nullus ad seculi pompas velocius festinat, quam iste subditi vitam & inferioris gradum ambiebat; oblata, immo & collata sibi Religionis officia quoties recusaverit ac renuntiaverit, ut amicam non desereret obedientiam, exempla superius relata testantur. Quotquot vero ipsum contigit prælatis subesse, omnes una voce illum regularis observantiæ zelantissimum observatorem proclamabant; cum enim cæcam hujusmodi virtutem esse sciret, ejusque perfectionem non solum in absoluta propriæ voluntatis

abnegatione; sed etiam in perfecta rationis cæcitate consistere, omnibus superiorum nutibus prompte & alacriter obtemperabat, nec corporis debilitate aut infirmitate detentus, ad implenda prælati mandata currebat.

[149] Jussus a quodam præposito, longam & difficilem aggressus est peregrinationem, [difficilia jussa exsequitur,] licet adeo infirmus & debilis corpore, ac superveniente febre afflictus, ut ipsemet, qui jusserat, pœnitentia ductus, metuensque, ne in via deficeret, perfectis novem leucis, ut sisteret, imperaverit; addens insuper, ut conventum aliquem sibi gratum inhabitandum eligeret: ille vero ne voluntatis propriæ in aliquo sequeretur impulsum, prælatum rogavit, ut sibi, quam incoleret domum, sua prudentia destinaret. Sciens itaque quantum ex merito obedientiæ religiosis actionibus accederet pretium, opus quantumcumque parvum absque illius interventu aggredi numquam præsumebat; sed in omnibus Superioris aut mandatum exspectabat, aut licentiam petebat. Hanc tandem status regularis esse propriam innatamque virtutem, qua velut structuræ fundamento ruente, totum spirituale corruit ædificium, sine qua nec Religio, nec fraternitas esset, fratribus suis verbis ac factis efficacissimis suadere conabatur.

[150] [& ex amore paupertatis] Margaritam pretiosam Minoriticæ familiæ paupertatem Vir Dei impense coluit, & in ejus observatione se legitimum seraphici Patris filium probavit. Tunica vilis & aspera, lectus durus, cibus tenuis, jejunia fere continua, cella brevis & arcta, supellex exigua, quietis fuga, laboris amor, deliciarum & voluptatis odium, veram illam quam docuit Christus, quam seraphicus Pater in suis optavit paupertatem, in Francisco Solano peculiarem sibi thronum elegisse demonstrarunt. Solet plerumque in prælatis virtutis illius decor marcescere, dum sibi ipsis rigidi, aut nimiam in ædificiis

curiositatem, aut in donis secularium largitatem indiscrete admittunt. At vero noster Solanus, dum conventui S. Mariæ angelorum Recollectionis Limanæ præesset, superflua quæque aut curiosa rejiciens, nec solo pavimenta sterni, nec ostiorum, ac fenestrarum tabulas scalpello dolari permisit; illis scilicet ornamentis sanctæ paupertatis pulchritudinem deturpari affirmans.

[151] [pretiosa munera respuit,] Pariter oblatas a quodam devoto seculari conventui Recollectionis duas Christi & Virginis imagines, dum quingentis nummis appretiari scivit, euangelicæ paupertatis zelator eas recipere noluit, ac digna Francisco Patre sententia dixit, pretium illarum fratrum mendicorum conditionem excedere; magisque gratum acceptumque Deo futurum, si in alicujus orphanæ, aut in plurium egenorum levandam miseriam converteretur. Ejusdem euangelicæ paupertatis amore peculiaria sibi oblata a secularibus, ipsius necessitati compatientibus, rerum alias Minori licitarum munera respuebat. Nonnullis ante obitum mensibus, quosdam (e quibus prædicationum materias hauriebat) viles, & parvi pretii libros ad guardianum detulit, ut eos juxta discretionem suam in usum aliorum transferret: at tandem in ultimo agonis conflictu, ut se vere pauperem exhiberet, habitum ad sepulturam a guardiano humiliter petiit, & in eleëmosynam impetravit.

[152] [& ad castitatem conservandam] Castitatis illibatæ florem in viro Dei Francisco angelicæ puritatis decorem imitatum fuisse, eorum, qui cum eo vivente familiariter egerant, & Religiosorum, qui confitentis peccata exceperant, fide digna assertio confirmat. Hujus quippe virtutis curam adeo cordis sui medullis impresserat, ut omnia ejus dicta & facta, aspectus ac progressus, conversatio & actio suavem castitatis redolerent odorem; nemo modestior illo, nemo taciturnior, nullus oculis ac sensibus purior. Mulierum familiare colloquium omnino

vitabat, nec umquam nisi obedientiæ, aut charitatis necessitate adstrictus eas alloquebatur; tuncque tantam visus & linguæ præferebat compositionem, ut ex ea cordis innocentiam & puritatem aperte manifestaret.

[153] [varia media adhibet,] Dum in provincia Tucumani populos doctrinam doceret Christianam, occasiones perversas, & gentis effrenatam ad malum libertatem advertens, locum quemdam & tractum, passibus centum a cellula sua distantem, designavit, ultra quem, ne quæcumque omnino mulier Inda transiret, nec alibi, quam in ecclesia pro confessione aut re quapiam alia necessaria ulla ipsum alloqueretur, prohibuit; si quæ autem præscriptos limites transgrederetur, eam a doctrinæ præpositis fiscalibus puniri jubebat. Ab externis vero sensuum oppugnationibus ita per modestiam, & femineæ conversationis fugam munitus, domestici etiam inimici, carnis scilicet petulantiam, asperis pœnitentiis reprimebat, & per continuas corporis afflictationes ad optimum illud supremi Largitoris donum (castitatem virginalem) consequendum se disponebat. Quod equidem assecutum, plura non solum dum viveret, indicia; sed etiam corporis immutatio, candor, tractabilitas, odorque suavis probarunt. Insuper & miraculo voluit Deus Servi sui manifestare puritatem, quando crus, a medico post mortem contactum, ad se retraxit.

## CAPUT XIII.
## Austera vivendi ratio, maxima humilitas, & mira patientia.

Quisquis humani corporis debilitatem, & carnis corruptibilis infirmam complexionem inspiciet, [Præter austeram abstinentiam] incredibiles quasi viri Dei Solani pœnitentias reputabit; nisi divinæ manus potentiam, in fragilitatis nostræ victoriis elucescentem, attendat: servus

namque Christi Franciscus adeo durum membris suis bellum indixit, ut nullum umquam corpori levamen ac requiem impendisse videatur; in mortificatione sensuum mirabilis, oculos modestia, linguam silentio, os abstinentia domabat: numquam otiosa verba protulisse auditus est, nec umquam aures ad voces contumeliæ, murmuris, ac dedecoris aperuisse. Erat in cibo adeo rarus, ut frequenter ad biduum triduumque abstinentiam protraheret; adeoque temperatus, ut vix sustentandæ naturæ necessaria alimenta comederet: unde infirmitatibus continuis debilitatus, medicorum & prælatorum mandato ad carnis esum adstrictus, medio plerumque gallinæ jecore & modico jusculi haustu contentus, vitam, affirmantibus medicis, miraculose protractam ducere putabatur.

[155] Addebat tot abstinentiis rigidam exterioris hominis macerationem: [corpus suum ciliciis & flagellis cruciabat,] sub hispida namque & aspera veste cilicium acuminibus horrendum ferebat ad carnem, quam & flagellis asperrimis, usque ad copiosam sanguinis effusionem interdum repetitis, per singulas noctes cruciabat; ita ut ille, cui ob sanitatem nulla umquam medicis visa est sanguinei humoris sectione fundendi copia suppetere, eodem ita frequenter violentia flagellorum expresso, parietes tingeret & pavimenta. Irreconciliabilis propriæ carnis inimicus, dum in novissima ægritudine dolores acutissimos pateretur, ac omnium fratrum in se commiserationis affectum moveret; ipse semper sibi austerus & immisericors, jucundos ad cælum oculos elevabat, ac voce alacri dicebat: O me felicem, cui cum flagellando corpori & traditori isti vinciendo domandoque vires desint, se divina manus in mei vindictam armavit.

[156] [& apostolicis laboribus] Præter illas inflictæ sibimet pœnitentiæ duras & assiduas mortificationes, incredibilia sunt quæ, & quanta in tot peregrinationibus

pro Dei gloria & proximi bono susceptis Vir apostolicus toleraverit incommoda. Sciunt omnes Minoriticæ professionis fideles alumni, quam gravia juxta euangelicam normam ambulantes prædicatores mala patiantur, & quam arduo dignus sit præmio, qui sine argento, sine sacculo, sine humano subsidio, pedester & mendicus ad seminandum Euangelii verbum procedit. Per has exercitatus est vias verus Minorita Franciscus Solanus, e Limana civitate ad Tucumani provincias pergens per ardentes solaribus radiis oras, per invios montes, per deserta & horrida loca, per profundos ac rapidos fluvios; modo siti, modo fame, modo infirmitate, nunc persecutione vexatus transivit, ac tantum sex centum leucarum decursum, sicut in reditu pedester * egisse certum est, ita & eundo percurrisse indubium esse debet.

[157] [alias carnis macerationes addebat;] Aliquando etiam a conventu Recollectionis Limanæ ad locum, qui Callao a dicitur, duabus leucis distantem missus; ut brevitatem itineris carnis afflictione redderet asperiorem, acutis sandalia clavis transfixit, quorum acumina ad pedes vergentia ipsos in viæ decursu, crudeli plaga cruentasse credendum est. Cum in conventu Limano ageret, sæpe nudis genibus in terram flexis, imbre lacrymarum perfusus claustrum percurrebat. In ultimo agone constitutus, cum totus vehementia febris arderet, nonnisi de confessarii consilio & assensu refrigerandæ linguæ modicam aquam ausus est adhibere. Tandem seraphicum Parentem in corporis austeritate imitatus, cum ipso etiam ingenuam corpori, gravioribus pœnis ac pœnitentiis, quam naturæ debilitas pateretur, cruciato, deprecatus est veniam. Verumenimvero Deus Servi sui holocaustum in suavitatem odoris se recepisse monstravit, dum imminente mortis periodo a profunda ecstasi reversus, auditus est in alacritate spiritus dicere: "Benedicta sint talia flagella, jejunia & pœnitentiæ, quas

tam magnum gloriæ pondus exspectat". Hinc pie credere licet, Viro Dei æternæ felicitatis gradum, ad quem mortificationis merito perventurus erat, fuisse revelatum.

[158] [attamen tanta erat præditus humilitate,] In humilitatis abysso eximiarum, quibus splendebat, virtutum basim & fundamentum stabile collocaverat; in hac seipsum visus est excessisse. Hæc est enim illa virtus, qua suadente toties sibi collata prælationis officia deposuit; ita ut intra quatuor menses, quibus munus guardiani exercuit, illud undecies renuntiasse comperiatur, non alio impulsu, nisi quod se ipsis omnino reputaret indignum. Hæc est illa, quæ ipsum ex Hispania non minus quam intensa charitas, ad Indias perduxit; ut enim fastum bonæ famæ, quam sibi tot virtutibus (& ut quidam vir religiosus se ab ipsomet confidenter audisse refert) mortui pueri resurrectione comparaverat, declinaret ac tutius lateret, non solum ad alterius hemisphærii terras, sed in abditissimas ejusdem regiones secessit. Hæc illa est, quæ etiam dum guardiani fungeretur officio, ipsum nonnumquam in refectorium fune aut habitu ad collum alligato, & arundine per os transversa ad majorem sui contemptum & ad culparum, quas commisisse putabat, veniam humiliter postulandam trahebat, & ad pedes Religiosorum calcandum prostrabat *.

[159] Altissimos humilitatis gradus attigerat, dum in propria æstimatione nihil erat, [ut pessime de se, optime de aliis sentiret,] nisi peccator ac homo vilis, talemque ab omnibus se reputari summe desiderabat; suam aliorum sententiis facile submittebat, nec quidquam boni de se præsumens, de aliis magnam concipiebat æstimationem, cunctos sibi præferens, nemini seipsum anteponens. Digna sunt æternæ memoriæ verba, quibus bonam, quam de fratribus suis conceperat, opinionem & reverentiam pandebat; aiebat quippe: "Dum audio fratres invicem colloquentes, credo ipsos de Deo tractare; dum video

comedentes, puto ad id necessitate adstrictos; dum demisso immodeste caputio, brachiis incompositis, gressuque præcipiti aut indecenti cerno ambulantes, sic eos ab hominibus contemni & stultos reputari velle existimo, licet revera coram Deo sint justi & boni". Hujus tandem humilitatis quasi filiæ matris sunt benignitas, familiaritas, & modestia, quibus etiam minimis & pauperioribus se libenter admiscebat, neminem contemnens, omnibus amorem ac debitum honorem reddens.

[160] Fructum legitimum perfectæ humilitatis patientiam, [& in laboribus ac infirmitatibus miram ostenderet patientiam,] vir Dei Solanus in omnibus vitæ humanæ experimentis invictam servavit: cum enim se omni consolatione indignum reputaret, non solum ærumnas, infirmitates & contemptus patienter tolerabat; sed & ipsis gaudebat, Deique cantica personabat. In magnis illis peregrinationibus quot pertulerit vitæ discrimina, quoties æstu & algore, siti ac fame laboraverit; superius relata probarunt; & in his omnibus nullum egressum est ab ejus ore impatientiæ verbum. Gravissimis insuper infirmitatibus afflictus, atque doloribus continuis oppressus, fortissimo patientiæ scuto se munivit; nec umquam aut tristior, aut aliis gravior fuit, sed semper hilaris & quietus Deum benedicebat, ita ut omnibus miræ tolerantiæ præberet exempla.

[161] Fuit etiam Vir Dei tentationibus illis probatus, [quæ præsertim elucebat in reprehensionibus,] quibus & sincera humilitas, veraque patientia deteguntur; amicorum scilicet fratrum acri reprehensione non semel agitatus. Ad ejus aliquando cellam accessit quidam gravis Religiosus, & nihil tale cogitantem cœpit acriter increpare; quod homo superbus & hypocrita esset, quod omnes vana sanctitatis apparentia deciperet, addens præterea, detegendas aliquando ipsius fraudes, nec

plebem semper illius simulationibus fore decipiendam. Ad hæc Vir humilis & patiens, quod talem invenerit reprehensorem, qualem olim seraphicus Patriarcha sibi formabat, exhilaratus, jubiloque perfusus ad pedes arguentis procidit, gratias egit, se vere cognitum confessus, rogavit, ut sibi ignosceret, ac pro salute animæ suæ divinæ misericordiæ preces offerret. Recessit alter compunctus, ac in bona, quam de Viro Dei conceperat, opinione confirmatus. Ingredientem ad se aliquando Virum sanctum infirmus quidam Religiosus gravis ac eruditus, cœpit hoc objurgare sermone: "Quid ad me hypocrita venis, num ut me sicut alios decipias? Vade retro, nec umquam te meo conspectui sistas". Haud fuit Vir Dei repentino casu turbatus, sed quia profundas in ipsius anima radices egerant humilitas & patientia, gaudio repletus, genisque risu & lætitia perfusis, in cunctis illum vera locutum alte respondit.

[162] [quas immerito ab aliis patiebatur.] Cum ab Hispania ad Indias navigaret, asperam a Religioso, sibi meritis ac gradu non pari, mira toleravit patientia reprehensionem: quadam enim die profundæ orationi intentum ille duro rudique accentu redarguit; quod, ut privatæ consolationi vacaret, proximi bonum desereret, Nigros Christianam non doceret doctrinam. Hanc Vir sanctus in silentio & mentis quiete excipiens increpationem, Christianæ fidei documentis instruxit illico Nigros barbaros simul navigantes; postmodum ore ad laudes divinas soluto, totam in devotis canticis, Deique & Virginis laudibus noctem transegit. Miratus hanc mansuetudinem reprehensor, ac confusus die sequenti veniam deprecaturus, ad Viri sancti pedes provolutus est; quem ille amore singulari complectens, quasi specialem benefactorem excepit. His & aliis probationibus palmam invictæ patientiæ reportavit.

## ANNOTATA.

Callao est portus Limæ., & municipium, in quo sunt multa ædificia, in quibus reconduntur merces ex Europa, Nova Hispania, aliisque regionibus advectæ. Præter alia religiosorum cœnobia, est ibi etiam domus Societatis nostræ.

Per Nigros intelliguntur mancipia, quæ ex Nigritia, Africæ regione, aliisve terris abducta, ad varia ministeria venduntur.

## CAPUT XIV.
### Ultimus ipsius morbus, mira in eo patrata, ac pia mors.

[Beatus vir in ultima infirmitate] Etsi tota viri Dei Francisci vita crux fuerit, & martyrium; tamen duobus (antequam e vivis excederet) mensibus, ut christianæ patientiæ pretio divinas acquireret promissiones, graviores sensit dolores, quibus adjuncta vehemens febris ipsum lecto decumbere omnino coëgit. Veniant huc omnes Christiani, & Viri tanti exemplo viam bonæ mortis addiscant: lectulo namque decumbens, etsi viribus corporis paulatim destitueretur, animæ virtutes intendit, factus in infirmitate potentior. Erat in prospectu ejus sacra Crucifixi effigies, quem interdum alloquens gratias agebat, quod ea, quæ propria manu corpori infligere non poterat, ille inferret flagella, & de hoste ipsius (scilicet corpore) optatam reposceret vindictam. Inde ad seipsum dirigens verba, non hic exspectandam requiem fatiscentibus membris contestabatur.

[164] Ab orationis exercitio nulla eum infirmitas potuit amovere, [varia teneræ pietatis indicia præbet,] sed in ultimis illis diebus ita contemplationis in eo volatus efferbuit, ut semper inter angelos conversari videretur, ac

corporeæ necessitatis oblitus, etiam peritorum medicorum judicio, vitam miraculose tamdiu protrahere crederetur. Numquam ejus ferventior, aut prolixior oratio, nullum coram se nisi de Deo sermonem misceri, nihil nisi proficuum & spirituale legi permisit. Voluit, ut socius devotissimas eruditissimi & piissimi patris Ludovici Granatensis meditationes coram se legeret; eo tamen modo, quod interdum eum a lectione cessare jubens, Vir Dei, conversis ad Crucifixum oculis, in suavissima oratione audita ruminabat, a qua velut a somno excitatus, iterum legentem attente audiebat. Postea solutus in lacrymas, familiarem sibi præcatiunculam, Glorificetur Deus; vel aliam hujusmodi magna mentis teneritudine repetebat. Aliquando psalmos illos: Lauda anima mea Dominum, &: Benedic anima mea Domino, postulans recitari; & ineffabilem in his cordis liquefactionem sentiebat.

[165] Euangelium illud Joannis, Ante diem festum Paschæ, [fervidos virtutum actus exercet,] etiam sibi legi optavit; ad cujus verba, sed præsertim ad crucifixionis historiam, mire commotus, Christum patientem alloqui cœpit, & gratias agens, ejus bonitatem & misericordiam, sibi peccatori tam benigne impensam, celebrare. Hymnis quoque B. Virginis plurimum recreabatur, & in illius consideratione, jubilo & lætitia perfundebatur. Confessario suo aliquando dixit: "Adjuva me, Pater, ad Dei laudes promendas; moxque adjunxit: Deus meus, tu Creator, Rex, Pater meus, tu deliciæ, tu cunctæ res meæ". Et his dictis adeo flamma divini amoris exarsit, ut anima ad intus conversa, totaque spiritualibus deliciis occupata, sensus immobiles, corpusque marmori simile reliquerit.

[166] Quadam die, cum idem confessarius corporis ejus angustias animæ voluptate sublevaturus dixisset: [& post ecstasin] "O pater Francisce, quantum erit gaudium civitatis sanctæ Jerusalem, lapidibus pretiosis ædificatæ,

lucerna cujus est Agnus;" ita efferbuerunt Viri sancti præcordia, ut in laudes divinas proruperit, & in pelagus contemplationis immersus, & omnino absorptus, aperto ore, oculis elevatis, corpore (quod per totum ægritudinis tempus jacuerat) erecto, extensis brachiis, decora sui compositione longam sit ecstasim passus: qui cum vocantium vocibus non responderet, solus in suavis deliquii libertate relictus est. Ab his autem excessibus, prout impressio cælestis mentem affecerat, aliquando hilaris, aliquando lacrymabundus revertebatur.

[167] Exorto sanctissimæ Trinitatis die festivo, in tanti mysterii cogitatione, [ac raptum] debilitatem corporis spiritus fervore corroborans, e cella quasi alatus exivit, voce alta intonans: benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu, omnes ad individuæ Trinitatis laudes celebrandas invitabat. Succedente postea Corporis Christi solennitate, a dilecto animæ suæ Agno immaculato speciali quodam beneficio recreatus est. Pater quippe Franciscus a Mendoza confessarius ipsius (qui nocte illa cellulæ ejus ostium, ipsum invisurus aperuit) solum quidem invenit, sed loquentem, & multa gaudii signa demonstrantem. Audiit quoque hæc verba: Venite adoremus et procidamus ante Deum, sæpius repetentem. Vidit & angulum cubiculi quemdam manibus designantem, quasi Majestatem illam (quam laudabat, ad cujus etiam laudes creaturas vocabat) indicaret. Qui mox ad confessarium intuentem conversus rogavit, ut abiret, nec suave illud matutinum sua præsentia turbaret. Cui ille morem gerens, clauso ostiolo, recessit; sed tunc Virum Dei singulari aliqua Christi visione honoratum, ex iis, quæ viderat & audierat, intellexit.

[168] [cælesti viatico munitus diem mortis suæ prædicit;] Crescente infirmitate, visum est medicis opportunum sacri Viatici tempus: quorum sententiam significantibus sibi fratribus, respondit Vir sanctus: "Intempestive quidem, &

promptius; sed tam bonum hospitem Christum cito recipiamus". Fuit hæc dies decima quinta ante obitum ejus. Sacramento mira devotione sumpto, visus est quasi novas acquisiisse vires: quare reverendissimus P. Joannes Venido, mox episcopus Orensis, vitæ terminum diutius protrahendum existimans, Viro Dei, quod sacram Portiunculæ indulgentiam lucraturus putaretur, ait. Cui ille, indulgentiam quidem dilecti sui patris sancti Bonaventuræ se consecuturum adjecit: Quibus verbis, aliisque indiciis in festo tanti Doctoris obiturum omnes intellexerunt; nec desunt pii bonique Religiosi, qui clare & distincte sic a Dei Servo prædictum affirment. Asseritque P. Franciscus de Nuñes, quod nocte feriæ secundæ, biduo antequam migraret; cum nonnulli fratres ad cellulam Viri sancti concurrissent, sibi ab eo dictum fuit: "Mone Patres, ut redeant ad somnum; non enim hac nocte, sed in die patris mei sancti Bonaventuræ sum moriturus".

[169] [circa quem aviculæ hiemali tempore dulciter canunt.] Circa ultimos vitæ ipsius dies multoties auditæ, & visæ sunt aviculæ quædam in cellulæ fenestra, cantu suavissimo, & melodia insolita adstantium aures animosque rapientes; quæ cum nec strepitu, nec vocibus humanis terrerentur, ac noctibus ipsis, mediaque hieme (Julio enim mense hiems Limanis est) præter morem canerent, corpus ejus mortuum ad valetudinarii oratorium postea suaviter resonando sint subsecutæ, mirum aliquem & plane divinæ operationis effectum portendere putabantur.

[170] [Tandem post ferventes affectus,] Quinto ante obitum die fratri Joanni Gomez, infirmorum curæ præfecto, ait: " Numquid advertis, frater, magnam Dei erga me misericordiam, qui vires mihi ad vincendum & expugnandum inimicum suppeditavit?" Triduo mortem præcedente, ad Religiosum sibi ministrantem reflectens, lacrymans ac suspirans in hac verba erupit: "Unde hoc, mi

Domine Jesu, ut tu crucifixus, & ego servorum tuorum ministerio adjutus; tu nudus, & ego coopertus; tu alapis percussus, spinisque coronatus, & ego tot bonis cumulatus, totque beneficiis consolatus"? Die sequenti, præsentibus multis fratribus, exclamavit: "O Deus animæ meæ, sis glorificatus; qualis est tua circa me dignatio? Quod cum in desertam solitudinem quasi stercus maleolens projici, & ab omnibus merear derelinqui, tunc angelis istis (Religiosis scilicet) me video circumdatum, & eorum officiis tam affluenter sublevatum. Gaudeo, Domine mi, quod Deus sis, o quam suavis es!" His dictis ad adstantes conversus, eos ad amorem divinum efficacibus verbis est adhortatus. Tandem, quidquid ad novissimum halitum temporis fluxit, totum in charitatis, orationis, & omnium actibus virtutum expendit.

[171] Die XII Julii, extremæ Unctionis Sacramento se ad agonem, [& extremam unctionem ac ecstasin,] ut bonus Christi miles, accinxit, atque ut facilius pauper & nudus cum nudo hoste pugnaret, laceriorem habitum in eleemosynam a guardiano impetravit; mox commendata præceptorum cælestium & regulæ seraphicæ observantia, singulis fratribus tenerrimo amplexu valedixit, & quamquam, dum viveret, speculum sanctitatis fuisset, malæ ædificationis & vitæ parum religiosæ supplex & gemebundus veniam deprecatus est. Nocte transitum præcedente in profundam ecstasim raptus, omnium adstantium judicio exspirasse creditus; reversus tamen postea, exclamavit: "Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus". Ex tunc usque ad finem, visa est in facie ejus superfusa lætitia, alacritas, & venustas, ac anima ejus de bono sibi promisso exultans, in effusa gaudii signa prorupit. Dicenti sibi cuidam fratri; "Quandoquidem te, Pater, jamjam ad cælum Deus extollet, memento mei, dum veneris ad regnum æternum". Respondit hilari voce: "Ita est, quod ad cælum pergo; sed hoc ex meritis mortis, & Passionis Christi: ego

enim maximus peccator sum; cum ad patriam appulero, bonus tibi amicus ero".

[172] Orta est denique dies sancto Bonaventuræ sacra, [immutato mirabiliter corpore,] in qua Vir Dei debitum naturæ soluturus, non horruit ad terribilium terribilissimum, sed multis indiciis ineffabilem lætitiam pandit. Eadem die, febris continuæ (quæ corpus exesa carne velut aridas radices exsiccaverat) subito intemperies cessavit: oris saliva prius fœtida, jam suavem odorem emisit: manus asperæ & rugosæ, tunc candidæ & naturali redditæ proportioni apparuerunt. Adeoque novas videbatur induisse vires, ut quidam medicus, dum postea defunctum scivit, aliquo casu extraordinario (puta amoris divini, aut desiderii cælestis violentia) exspirasse affirmaverit.

[173] Cum itaque Religiosi adstantes Officium divinum voce intelligibili recitarent, Vir Dei ad versiculum, [pie moritur.] Gloria Patri, oculis ac manibus sursum erectis, solitam jaculatoriam, Glorificetur Deus, suaviter proferebat. Finitis psalmis, symbolum fidei decantatum est, suam interim musicam & harmoniam aviculis commiscentibus; cumque ad verba illa, Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine ventum est, insonuit etiam ecclesiæ campana signum elevatæ Hostiæ in Missa solenni S. Bonaventuræ. Tuncque Vir sanctus ad Crucifixum intentus, manibus in crucis figuram compositis, devotam oratiunculam, Glorificetur Deus, cum anima ad Deum ejaculatus est, & dormienti similis exspiravit die XIV Julii, S. Bonaventuræ festo, anno vero millesimo sexcentesimo decimo, ætatis suæ sexagesimo primo. Corpus a fratribus curatum, circa meridiem ad valetudinarii oratorium juxta morem delatum est.